







j. B. keijnoogen

H. DREXELII.

S. J.

SALOMON

REGUM SAPIENTISSIMUS

DESCRIPTUS

&

MORALI DOCTRINA

ILLUSTRATUS.

OPERUM

TOMUS XXI.

COLONIÆ,

Apud BALTHASAREM ab EGMOND.

MDCCXV.

SALOMON REGVM SAPIENTISSIMVS DESCRIPTVS et morali doctrina illustratus

à R.P. HIEREMIA DREXELIO SOC: IESV.

Ex posthumis Libellus Septimus et postremus.



ANTVERPIÆ.
Apud Viduam et Hæredes Ioannis Cnobbari. A°. 1652.

SERENISSIMO PRINCIPI
DOMINO, DOMINO

PHILIPPO GUILIELMO,

COMITI PALATINO
RHENI, BAVARIÆ, JULIÆ,
CLIVIÆ, ET MONTIUM DUCI, COMITI VELDENTIÆ,
SPONHEMII, MARCHIÆ,
RAVENSPURGI ET
MÔRSÆ, &c.

DOMINO IN RANENSTIEN, &c.

NEC NON

SERENISSIMÆ PRINCIPI
DOMINÆ, DOMINÆ

ANNÆ CATHARINÆ,

CONSTANTIÆ COMITI
PALATINÆ RHENI, BAVARIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM DUCISSÆ, COMITISSÆ VELDENTIÆ, SPONHEMII, MARCHIÆ, RAVENSPURGI ET
MÔRSÆ, &c.

DOMINÆ IN RAVENSTEIN, &c.

POLONIÆ AC SUECIÆ
PRINCIPISSÆ NATÆ, &c.



AD quem de cunctis populis, & universis regibus terræ veniebant, ut audirent ſapientiam ejus; en,

ad vos nunc ipſe venit, Sereniſſimi Principes, magnus ille Salomon; *præcedens ſapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum: ſapientior Ethan Ezrahite, & Heman, & Chalcol, & Dorda, filiis Mahol: nominatus in univerſis gentibus per circuitum: Salomon locutus tria millia parabolas, carmina quinque millia; diſputans ſuper lignis à cedro, quæ eſt in libano, uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete.* Hujus regis vitam, ſtylo P. Jeremiæ Drexelii deſcriptam, vobis, Sereniſſimi Principes, humillimè dedicamus. Duo libelli ſunt: in quibus, velut duabus tabulis calamo vel penicillo potiùs, boni maliqúe Regis, viventis ac mortui faciem, Aſceta noſter expreſſit. Al-

Alteram amabilem ac decoram: fœdam & horribilem alteram. Simul aſpexeris primam, Philippe Guilielme Dux, pulcherrimam illam; exclamabis cum Rege Sidoniorum Hiram: *Benedictus Dominus Deus, qui dedit David filium ſapientiſſimum, ſuper populum plurimum*; neque nulla agnoſces, tanquam in ſpeculo, lineamenta tui vultûs. Videbis Salomonem modeſtum, induſtrium, liberalem, hoſpitalem, clementem, magnificum, juſtum, ſapientem, pium, imò pientiſſimum: auguſtam profectò faciem, & Imperio dignam, quippe effloreſcentem iis coloribus, quos & tuus Animus, Philippe, imbibit, tenaciùs utique retinendos, quàm Salomo-

nis. Longè ſiquidem diverſum altera tabella proponit: ex modeſto luxurioſum, & induſtrio inconſtantem, ex liberali prodigum, ex hoſpitali avarum, ex clemente ſuperbum, ex magnifico inglorium, ex juſto injuſtum, ex ſapiente fatuum, ex pio idololatram & magum, ex vivo mortuum. Heu qualis vultus, quantum mutatus ab illo priore! Non ad talem venit Regina Saba: ſed talis ad te mittititur, ô regia Jagellonidum Progenies, Anna Catharina Conſtantia. *Regina Auſtri mirata eſt ſapientiam Salomonis, obtulitque aromata, qualia non fuerunt, ut hæc, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Tu quæ à Septentrione proceſſiſti, mirare fatuitatem proſtrati Senis; expedi aro-

aromata virtutum tuarum *multa nimis & odora valde*; earumque fragrantia Hebræi cadaveris pelle fœditatem. An fortaſſe dubitas, & fidem nobis adhibere cunctaris? Perlege ſecundum librum, & dices: *verus eſt ſermo, quem audieram, non credebam narrantibus; donec ipſe veniſſem, & vidiſſem oculis meis, & probaſſem, vix medietatem mihi fuiſſe narratam.* vicit famam vitiis ſuis ac ſtultitiâ ſuâ. Quòd ſi, Sereniſſima Princeps, intellexeris, veriſſimum Chriſti typum, dediſſe maculam in gloriam ſuam, tam turpem, ut vix amplius agnoſci poſſit; difficilius verò Salutis æternæ certam notam inveniri: quandoquidem de hac Docti diſputant, plerique negant, pii gemunt, omnes

 timent.

timent. Hæc, ſi tu pro ſingulari prudentiâ tuâ, diligenter expenderis; forſitan *præ ſtupore non erit ultra in te ſpiritus: certè in omni timente Deum, & cogitante, quam mirabilis ſit in conſiliis ſuper filios hominum.* Liceat iſta, Sereniſſimi Conjuges, ſub auſpiciis Nominis veſtri pluribus evulgare. Intelligat univerſus Orbis, & Fortunæ bona ſine virtute eſſe nulla: & virtutes ſine conſtantiâ non coronari. Monachii Bojorum 30. Auguſti Anno M DC. XLIII.

Serenitatibus Veſtris

Devotiſſimum Collegium
Societatis JESU
Monachii.

SALOMON JUSTUS.

CAPUT I.

Salomon Modestus.

SALOMON humanæ & sapientiæ & stultitiæ prodigium, cùm annum ageret decimum nonum, jussu parentis David in regem unctus est, tametsi non fuerit primogenitus. Hoc juris Absaloni fratri competebat, & ab eo Adoniæ. Si Tiraquello credimus, jus omnium gentium est, ut primogenitus patri succedat in regno.(a) Artabazanes Darii filius, natu maximus, quod Iustinus memorat, ætatis privilegio regnum sibi vendicabat, quod jus & ordo nascendi & natura ipsa gentibus dabat.(b) Hebræi hac in re aliquantulùm singulares: nam ab uno filiorum etiamnum vivente jus regni aut primogeniti transferebatur ad alterum. Sic ab Esau ad Iacob, à Cain ad Sethum transiit. Jus istud transferendi potestatem

 habuit

(a) *Tiraquel. de jure primogen. in præf. à n. 19.*

(b) *Iustin. l. 2. hist. mihi pag. 32.*

habuit pater, qui filiorum indolem & ingenium considerans, prudentiæ, fortitudinis, sapientiæ semina in iis spectabat, & ex eâ notitiâ regnum ei vendicavit, quem filiorum dignissimum censuit. Alioqui quod Aristoteles docet, jus naturæ filios omnes patri successores constituit. (a)

Iustus Lipsius vir ævi sui Phænix in utramq; partem eruditè disputat, successio an Electio melior. Demum successionem Electioni præfert. (b) Deus in gubernando populo suo, hanc esse voluit mixturam ac temperiem, ut non successione solâ, nec solâ etiam electione daretur regnum. Voluit patri liberos succedere, sed ut pater eligeret aptissimum. Nec tamen omnem omnino potestatem pater eâ in re habuit. Deus non primum tantùm, sed & potissimum regis eligendi suffragium sibi retinuit. Ergo aut sortis, aut vatis, aut ipsius Dei sententia expectanda. Vox populi sola jus regni dare non potuit, sed ejus possessionẽ promovere. Salomon non tantum parentis David voluntate, sed Dei decreto in solium evectus est. Hunc volo, ajebat Deus. Hoc Adonias perdidit superbiâ. Ita Salomon tã successione quã Electione rex confirmatus est, quia non tantum regis David filius, sed etiam à Deo electus. Hunc res successum habuere.

Hic igitur explicabimus, quomodo Salomon inauguratus sit. Et quia Salomonem Iustum ex asse descripturi sumus, initium dabimus huic rei hoc capite, in quo *Salo-*

(a) *Arist. l. 7. & hic.*
(b) *Lipsius l. 2. Monit. polit. c. 3. & 4.*

Salomon modestus, seu, humilis se spectandum sistet.

§. I.

I. Ad eligendum Salomonem & ungendum omnes Hebrææ Reipublicæ ac regni ordines convocati. Rex prudentissimus David, ut omnia tranquillius peragerentur, corporis sui custodiam, legiones Cerethi & Phelethi, satellites ac stipatores regios adjunxit. Hos inter Nathan Propheta, & Sadoc sacerdos eminebat. Adonias Salomonis frater ambitiosissime sceptrum quæritans, Ioabum belli ducem & Abiathar sacerdotem mox gradu movendos secum habuit. Nathan à parte Salomonis stetit ut interpres & testis divinæ voluntatis, qui sane defuit Adoniæ, quem illa Oseæ querela ferit: Regnaverunt & non ex me. *(a)* Electio regis, principis, Præsulis nulla est, si divinæ voluntatis interpretes desint.

2. Vnctum ergo Salomonem imposuerunt super mulam regiam & adduxerunt in Gihon. Mulos alere Hebræis vetitum. Nemini fas talem equum insidere nisi regi. Et fuerunt certe regii equi qui alium neminem receperunt sessui, nisi suos dominos, uti Bucephalus Alexandrum solum. *(b)* Talem equum & Cæsar dictator habuit. Narrat Gregorius Magnus, Ioannem Hetruscum Pontificem qui vitam morte clausit pro Christo obita, ad Iustinum Imperatorem ivisse Constantinopolim. Huic in itinere vir pri-

(a) *Os. cap.* 8. *vers.* 4.
(b) *Plin. l.* 8. *Nat. hist. cap.* 42.

primas suæ conjugis equum mitissimum, oviculam, concessit, sed confectâ viâ remittendum, ubi alius substitui posset. Remissus est equus. Hic ubi ad dominum rediit, eam induit ferociam, ut erectâ corporis agitatione suam dominam semper rejiciens tergum ei præbere recusarit, tanquam dedignaretur mulieri servire, ex quo summus antistes Christi vicarius in eo sedisset. Quocirca equus ad Pontificem reductus est in domum. Ita Rex Salomon in equo parentis rex salutatus est.

3. Secuta unctio, quam sacer vates his verbis expressit. *Oleo sancto meo unxi eum.*(a) Oleum appellat sanctum, quia sumebatur è tabernaculo. Consecrabatur autem & renòvabatur statis temporibus. Vnguentum erat opere myropolæ pretiosissimum. Eo reges non tam unguebantur quàm perfundebantur unguentario vase in caput effuso. Ita Regum fasti loquuntur: Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus.(b) Hujus olei vas fuit aureum, in cornu aut lenticulæ formam, velut incurvus guttus, sinuatum ac repandum. Hæc inunctio primam regum principúmque virtutem designabat. Ea est Benignitas & Clementia ad exemplum Numinis, cujus misericordia omnibus excellit aliis operibus: Miserationes ejus super omnia opera ejus.(c) Sciant igitur reges principésque se medicos ac chirurgos esse subditorum, qui medeantur & ungant oleo misericordiæ, qui instruant in leni-

(a) *Psal.* 88. *v.* 21. (b) 1 *Reg.* c. 10. *v.* 1.
(c) *Psal.* 144. *vers.* 9.

lenitate. (a) Eò ritus in Persarum regibus inaugurandis spectabant. De his Plutarchus in Artaxerxe: Antequã sceptra inirent, terebinthũ & caricas gustabant, poculúmq; lactis ebibebant, quò monerentur tristia & austera populorũ fata dulciori succo perspergenda.

4. Post inunctionem Regis Salomonis acclamatio secuta. Sauli acclamatum, *Vivat Rex*; Absaloni, *regnavit Absalon in Hebron*; Regi Ioas, *Vivat Rex*. Ita Cæsares olim acclamationibus faustissimis salutati. Capitolinus Gordiano populum hæc acclamasse commemorat: Æquum est, justum est, Gordiane Auguste; *dii te servent, feliciter cum filio imperes*. Aliàs in ludis, diebus epularibus acclamatum; *Feliciter*. In congiario dividendo hæ voces missæ: De nostris annis tibi Iupiter augeat annos. Acclamationi plausus additus. De rege Ioas testantur regum fasti: Et fecerunt eum regem, & unxerunt, & plaudentes manu dixerunt: *Vivat Rex*. (b) Aurelius Victor: Pertinaci, ait, mortuo Divi nomen decretum: ob cujus laudem ingeminatis ad usque defectum plausibus acclamatum est; Pertinace imperante securi viximus. Præter hæc tubæ cecinerunt plurimæ, quibus varii generis harmonia & instrumenta musica miscebantur. Nam ut sacri codices loquuntur: Ascendit multitudo post eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum. (c)

5. Exinde Salomon in parentis solio colloca-

(a) *Gal. c.6. v.1.* (b) 2 *Reg. c.11. v.12.*
(c) 3 *Reg. cap. 3. vers. 40.*

locatus, in quo rex David jus dixit. Cùm Iehu in regem legeretur, defuit tribunal seu solium: Festinaverunt igitur, & unusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus ejus, in similitudinem tribunalis, & dixerunt, regnavit Iehu. (a) Corona regum Hebræorum in tabernaculo servabatur, uti censet Alphonsus Tostatus. Apud alios reges cidaris fuit aut diadema. Hoc candida erat fascia, subinde cærula, aptum etiam instrumentum vulneribus obligandis. Hinc Favonius Pompejo, cui albâ fasciâ crus erat obligatum, dixit: Non refert quâ parte corporis sit diadema. Regias ejus vires sugillabat. (b)

6. Solio paterno jam occupato Salomon novum cum Deo populóque fœdus iniit. Quemadmodum & alii reges jurarunt, cùm pro se quisque sponderet, se futurum & Deo filium & populo patrem. In monimentum rei dabatur à sacerdote regi novo in manus liber Deuteronomii seu, secunda lex, idque ideo ut probè nosset, reges subditis in eo prorsus æquales, quòd lex idem ab omnibus requirat, idem omnibus promittat, idem minetur: imo regem legi arctiùs obstringi, ut qui non solùm debeat esse legis observator, sed etiam custos & vindex, qui alios ad observandam legem adigat. Ita demum regem novum osculatus est propheta, eo ritu commonefaciens, legem legisque explicationem, verúmque super dubiis responsum esse accipiendum à sacerdote aut

(a) 2 *Reg. cap. 9. vers. 13.*
(b) *Plin. lib. 7. cap. 56. Valer. lib. 6. cap. 2.*

aut prophetâ. Ita Theodoretus hoc osculi mysterium exponit. (*a*)

7. His actis sequebantur sacrificia & epulum, quæ nec Adonias omisit. De alterâ Salomonis inauguratione, Regum chronicon ita loquitur: Immolaverunt victimas domino & obtulerunt holocausta die sequenti tauros mille, arietes mille, agnos mille cum libaminibus suis, & universo ritu abundantissimè in omnem Israël. Eodem hoc loco epuli fit mentio: Comederunt & biberunt coram Domino, in die illâ, cum grandi lætitiâ. (*b*) David Salomonis parens tertiùm rex unctus convivium dedit in Hebron, convivarum habuit trecenta millia, insuper & quinquaginta septem millia. Hos omnes epulo triduano lautissimè refecit, incredibili ad id apparatu facto.

Ergo Rex Salomon; sed una cum patre, qui nondum regno cessit, & in omnibus obtemperantem sibi filium gubernavit; jus gladii concessit quidem sed suo nutu moderandum. Sapienter & magno Reipublicæ bono. Regnum modestiâ seu Humilitate meruit, quod Adonias perdidit superbiâ. Is quidem post Absalonem primogenitus fuit, sed omnis longanimitatis expers, opportunum regni tempus expectare non sustinuit: ita præmaturè inconsultu patris, imò illo insciente & ignaro se regem proclamari jussit, planè alter Absalon. At verò Salomon tametsi probam habuerit notitiam de Dei voluntate, patris juramento, matris amore,

(a) *Theodoret. quæst.* 20.
(b) 1 *Par. cap.* 29. *vers.* 22.

more, Nathanis ad regnum monitis, nil tamen dixit fecitque, quod ſupercilium & elationem, quod regni cupiditatem & ambitionem ſaperet; nec contra fratrem quidquam turbarum movit, ſed totum ſe Dei ac patris voluntati providentiæque permiſit, verè *Salomon ſubmiſſus*. Quem Siracides elogio liberali commendans: Poſt illum ſurrexit filius tentatus, inquit, & propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum. Humilitas honorata Bernardo eſt corvus albus, & ater cygnus. Hinc illam ſummè laudans. Non magnum eſt, inquit, eſſe humilem in abjectione, magna prorſus, & rara virtus, humilitas honorata.(*a*)

Iuſtus Lipſius in Stoicorum philoſophiâ ſcitum illud: Solus ſapiens rex: ut veriſſimum tuetur, etſi rex talis ad ditiorum januas mendicet panem. Quod confirmans Tullius: Sapiens, inquit, rectiùs appellabitur rex, quàm Tarquinius, qui nec ſe nec alios regere potuit (*b*) Hoc ipſo ſenſu dixit Eccleſiaſtes: Melior eſt puer pauper & ſapiens rege ſene, & ſtulto, qui neſcit prævidere in poſterum.(*c*) Annæi ad Lucilium præceptio eſt: Multos reges, ſi ratio te rexerit. Quod Lipſiùs nudis verbis enuntians: An mihi, ait, rex erit, cui muliercula imperat, cui pecuniola, cui gloriola, cui alii animorum tyranni? Rex eſt qui poſuit metus, & diri mala pectoris. Num illum dicamus regem, qui gulæ neſcit imperare, quem cibi potúſque appe-

(a) *Bern. hom. 4. ſuper miſſus eſt, &c.*
(b) *Cic. lib. 3. de Finibus.*
(c) *Eccleſ. cap. 4. verſ. 13.*

appetentia quotidie sub jugum mittit, quem triumphat libido, cujus stultitiam prodit ira, quem impatientia statu dejecit, quem occidit invidia.

Salomon cum Numine per somnium sibi apparente collocutus: Nunc, inquit, Domine Deus tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum & introitum meum. *(a)* Quî in Orbem hunc venerim, quî abiturus sim ex Orbe hoc, ignoro, infans & sæpe moribundus, pecudi non multùm absimilis. Hæc dixit Salomon cùm loqueretur cum Deo. An non Humilis dicendus & Modestus? Idem de se Salomon: Servus tuus, inquit, sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus & exigui temporis & minor ad intellectum judicii & legum. *(b)* En Salomonis modestissimam Humilitatem. *Homo*, ait, *infirmus sum*, quem febricula, quem malignior aura in tumulum dejiciat. *Et exigui temporis.* In dies, imò in horas expectanda mors est, momentum & punctulum est omnis vita, ad centum etiam annos producta. *Et minor ad intellectum* utcunque stupidus tardè nec plenè penetro rerum naturas. Ita Salomon à modestiâ orsus est regnum. Humilitas virtutum omnium fundamentum.

(a) *3 Reg. 3. vers. 7.*
(b) *Sap. cap. 9. vers. 5.*

CAPVT II.

Salomon Oeconomus.

VOx Iſaiæ vatis eſt: Et erit ſicut populus, ſic & ſacerdos; & ſicut ſervus, ſic dominus ejus. (*a*) Ita & priſci loquebantur: Familia talis eſt ut eſſe vult herus, ſi paterfamilias nec diligens, nec ad rem attentus, nec homo frugi ſit, quid miri, ſi tales ſint inquilini, ſi malè rem gerat familia? Negligentia ſine minervali diſcitur: rem familiarem bene adminiſtrare, parcè ac frugaliter vivere, Oeconomiam ſollerter curare, Virtutis & induſtriæ eſt. Salomon initio regni tam bene rem geſſit, ut dici potuerit: Salomon Oeconomus.

Regem Tyri dilaudans Ezechiel: In multitudine ſapientiæ tuæ, inquit, & in negotiatione tuâ multiplicaſti tibi fortitudinem. Rex iſte mercimoniis ſupra quàm credi poteſt ditatus. Nam de Tyri mercatoribus Ioannes Apocalypticus: Mercatores tui, ait, principes terræ. (*b*)

Salomon non tantùm Oeconomiæ præceptiones inſigniſſimas dedit in Eccleſiaſte ac Proverbiis, ſed ipſemet quoque conſilio ac ratione rem optimè geſſit, Oeconomus peritiſſimus: atque de hoc jam agemus, præcipuè cùm Salomon ex Agriculturâ & mercaturâ ſuam Oeconomiæ ſcientiam Orbi probarit. Simul oſtendemus, ad Oeconomiam

(a) *Iſa. cap.* 24. *verſ.* 2.
(b) *Apoc. cap.* 18 *verſ.* 23.

miam quatuor potissimùm spectare, quæ nos docebit Salomon Oeconomus.

§. I.

Agriculturam & Mercaturam potissimùm discit Oeconomia. Salomon personam Ecclesiastæ induens: Feci hortos, inquit, & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus. Honestum & utile studium, quod colendis hortis impenditur. Homerus reges suos hortensem curam tractantes laudat. Rex Agamemnon teste Plinio platanos plantavit.*(a)* Attalus Pergami Rex, hortos fodiebat, herbas seminabat, sed noxias innoxiis permiscebat animi morbo.*(b)* Cyrus gloriari solitus, agrum se habere, suis manibus consitum, & directos in quincuncem ordines, multásque arbores suâ manu satas. Nimirum fructus hortensis, principum regúmque manu educatus, meliùs sapit curioso palato, quàm quem plebeia manus produxit. Venantius canit:

De cultore trahit mellitum planta saporem.

Diocletianus posito imperio factus olitor. Ita Salomon hortos curabat, qui nec venationem quidem neglexit, non silvestrem illam sed hortensem. Athenæo teste, moris erat apud Macedonas reges, ut nullus accumberet inter convivas, nisi extra retia confecisset aprum.*(c)*

Iosephus Hebræus narrat à reginâ Sabâ Hierosolymam Salomoni frutices & surculos

(a) *Plin. lib.* 16. *cap.* 44.
(b) *Iustin. lib.* 36. *fine, mihi pag.* 290.
(c) *Athen. lib.* 1. *cap.* 11.

los allatos qui deinceps in Palæſtinâ copioſo cultu largiſſimè provenerunt. Plinius ingenuè fatetur Balſamum uni terræ Iudææ conceſſum. Sed & alias arbores aromatum feraces ſevit Salomon. Hinc carmen cæleſte de univerſis Libani lignis loquitur.(*a*)Ergo Agricola Salomon. Imò & Adam fuiſſet agricola in ipſo paradiſo, ſi permanſiſſet in illo. Nam poſuit Deus hominem in paradiſum voluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum.(*b*)Hic labor abſque labore fuiſſet, & abſque ſudore voluptati magis quàm vexationi aut oneri. Salomoni autem agricultura voluptatem ideo peperit, quia illam exercuit, non ut inde veſceretur pane ſuo, ſed ut ſuaviùs veſceretur animi & exercitationis cauſsâ; atque ut ſuis monſtraret, oculum ſuum etiam ad hæc talia vigilare. Agriculturæ mercaturam adjunxit quam terrâ marique inſtituit. Ioſephus ait: Salomon plurimas naves vili merce oneratas miſit, pro quibus argento & auro divites recepit. Strabo topographus: Nomadas, inquit, vendunt vicinis aurum æris triplo, argenti duplo, propter laborandi inſcitiam. Atqui æris in Syriâ & Palæſtinâ fuit affatim: ergo facilè potuit cum metallis multò nobilioribus commutari. Madringnanus de navigatione Chriſtophori Columbi diſſerens: Inſulæ Occidentales, inquit, in ſummo pretio habent clavos, vitrea grana, acus; & pro illis dant aurum.(*c*)Iam aliis vivitur moribus: ſimplicitas

citas

(a) *Cantic. cap.4. verſ.14.*
(b) *Gen. cap.2. verſ. 25.*
(c) *Madring. de Navig. Columbi cap.* 109.

citas hæc passim exolevit. Terrâ porro mercaturam exercens Salomon pactus est cum rege Hiram, à quo ligna & operarios accipiens eorum vicem triticum dedit & oleum. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, juxta omnem voluntatem ejus. Salomon autem præbebat Hiram viginti millia coros tritici in cibum domui ejus, & viginti coros purissimi olei. Hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos. (*a*) Frumenti corus quadraginta quinque modios Romanos continebat. Olei corus amphoras quindecim, quævis amphora mensuras viginti quatuor habebat. Alia cum equis exercebatur mercatura. Nam educebantur Salomoni de Ægypto & de Coâ: Negotiatores enim regis emebant de Coâ, & statuto pretio perducebant. (*b*) Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta. Cajetanus opinatur viliore pretio coëmptos equos in Ægypto, & venditos cariore, idque excusari, quòd in regno alieno sit factum. Sed aliâ profectò de caussâ equos Salomon emit, non ut venderet, sed ut politico astu Ægyptiis, & Syriæ vicinis regibus, præcipuum belli robur subduceret: nam equitatu maximè valebant Ægyptii. Et singulari providentiæ Dei tribuendum, quòd socer Salomonis Rex Ægypti in generum suum tam fuerit benevolus ut id permiserit. Præter hæc byssum etiam & aromata ex Ægypto, Ægyptiorum bono, & suo lucro mer-

(a) 3 *Reg. cap.* 5. *vers.* 10. 11. *&* 12.
(b) 3 *Reg. cap.* 10. *vers.* 28. *&* 29.

catus est Salomon. Ergo Salomon Oeconomus.

Oeconomia porrò domestica, si eam cupiamus bonam instituere, constat ordine, pace, parsimoniâ seu mediocritate, & pietate.

I. Ordinem beatus Paulus imperans: Omnia autem, inquit, honestè & secundùm ordinem fiant in vobis. (a) Ordo cupit omnia suo tempore, suóque loco fieri. Tempore quæque facienda, statâ horâ eundum ad quietem, statâ surgendum, prandendum, cœnandum, studendum aut laborandum certis temporum intervallis. Nullus est ordo aut certè turbatissimus, temere quidvis quovis tempore facere: jam matutinâ decimâ, jam duodecimâ, jam etiam horâ primâ prandere: modò sextâ vesperi, modò septimâ vel etiam octavâ, aut mediâ nonâ cenare; jam maturè cubitum ire, jam in multam noctem vigilare, & undecimâ vel duodecimâ, nonnunquam primâ somnum petere; hoc neque salubre neque decorum est, & omni Oeconomiæ adversum. Christus Matthæi calamo. Quis putas, inquit, est fidelis servus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? (b) Si qui famulorum non possint aliâ lege nisi confusionis vivere, iis patientiam pro ordine suademus.

Sed locum etiam œconomicus ordo postulat. Supellex non temere spargenda, libri non huc illuc projiciendi: suo loco singula sunt reponenda, ut tanto faciliora sint repertu,

(a) 1 *Cor. cap.* 14. *fine.*
(b) *Matth. cap.* 24. *vers.* 45.

pertu, quantò fuerint ordinatiùs composita.

II. Pars Oeconomiæ pax est. Discordia rei domesticæ mors & interitus. Nimirum concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Oeconomiæ nihil tutum est inter lites & diffidia. Pax multò majus bonum est, quàm ut domo expellatur ob ollam contusam, vitrum fractum, olus ambustum, offam præsalsam. Idem sapiant, qui in eâdem domo sunt. Chrysostomus ad domesticam concordiam exhortatus: Quando maritus, inquit, & uxor, & filii & famuli eadem curant, magna est domûs concordia. Sin minus, sæpe unicus nequam servus universam evertit domum discordiis. Domestici omnes, quantùm ad Oeconomiam, eundem ducant colorem, ejusdem sint naturæ. (a) Res familiaris pessimè administratur; cùm consumit uxor, quod maritus lucratur; cùm liberi sumptuosi, ancillæ otiosæ, servi infidi. Hæc tali discordiâ res maximæ dissipantur.

III. Parsimonia seu mediocritas in victu vestitúque. Non ignoramus vectigal esse maximum parsimoniam. Victus sit bonus, non nimiùm lautus & opiparus, vestes sint mundæ, non nimiùm pretiosæ ac splendidæ. Mediocritas hac in re maximè commendatur. Pecunia sit usui, non venerationi, tanquam sacra lipsana; custodiatur ut expendenda, non sepeliatur velut æternùm retinenda. Lex Oeconomiæ certa est: Vbi pecunia tam difficulter ac tenaciter expenditur, tanquam à corde præsecanda, illic rei fami-

(a) Sollen alle vber ein Laist geschlagen seyn.

liari pessimè servitur. Frequenter namque opportunitas se offert emendi quiddam viliore pretio, quam pecuniæ tenax negligere non damnum æstimat, modò numos retineat, Oeconomia fatua: nam præsenti argento sæpe meliores metus. Hæc socors tenacitas Oeconomiæ multùm officit.

Quemadmodum verò non sordidè nec avarè, ita nec prodigè sine luxu res familiaris gerenda. Sunt qui clament identidem affer, affer, eme, para, coque, cùm nec obolum porrigant, sed syngraphas impleant nominibus, quisquis demum æs alienum luat. Quam beati essent institores, caupones, mercatores, pharmacopolæ, panni negotiatores, opifices mechanici si pro laboribus aut mercibus præsentarium semper argentum reciperent. Præclarè fecerit magistratus si jusserit emi, vendi omnia pecuniâ numeratâ, aut certè statis nominum expeditionibus. Nam illi plerunque cives incipiunt esse pauperes, cùm incipiunt fieri debitores. In æs alienum incidere primus ad paupertatem gradus est. O quantum vestitûs ac conviviorum luxui subtraheretur, si semper in talibus æris numeratio exigeretur. Vis novas dictare vestes? vis apparare convivia? supellectilem augere? te magnum & lautum monstrare? Dic sodes, num argentum habes præsentarium? Habeo inquis. Ergo prome & cave alienum æs contrahere. Monetam præsentem non habes, omitte vestes, aut saltem differ, omitte convivia, omitte supellectilis ornatum, quamdiu pecunia deest numerata. Quid enim alienis te plumis vis ostentare?

tare? Nam ubi te ſartor viderit, dicet: Hanc veſtem ego feci, quam qui gerit, manu pretium nec dum perſolvit: panni negotiator dicet hoc ego corium, hos pannos dedi; nil æris recepi. Caupo dicet: huic ego tot vini amphoras ad convivia è meâ cellâ ſuppeditavi; nummorum nihil ad me rediit: macellarius & obſopæus dicet, huic ego ſtruxi fercula nondum ſoluta. Ergo aut convivium, & veſtes, & omnem corporis apparatum differ aut argentum præſens exhibe. Deſit pecunia? tollatur & pompa. Fœda veſtis eſt quam nomina ſuunt; turpe convivium quod numi alieni ſtruunt.

Deinde quantæ injuriæ ac injuſtitiæ caverentur, ſi, quantùm fieri poteſt, caveretur æs alienum. Multa inſuper pretio venirent longè viliori, ſi monetâ emerentur præſenti: dilata æris numeratio rerũ pretia incendit.

Ergo nec profuſè nec avare rem familiarem gerere principium eſt œconomiæ. Conſtet ſigillatim patrifamilias quantum pecuniæ accipiat, quantum expendat: explicatæ ſint illi rationes ſumptuum omnes. Nec enim in quavis domo Ioſephus eſt qualem habuit Putiphar Ægyptius militiæ princeps. Ab hoc Ioſeph præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum, & univerſa quæ ei tradita fuerant. Non multi Putiphares, pauci Ioſephi. Sed pergimus.

IV. Pars Oeconomiæ Pietas. Si deſit iſta, nil cetera juvabunt omnia. Exulet à domo pietas, & nec aurea illam fortuna beabit. A Iove principium. Auguſtinus ad ſolidam pietatem exhortatus: Bona vis habere, in-

 quit,

quit, & bonus non vis esse. Vxorem bonam, filiam, servum, ancillam; non villam, non tunicam, postremò non caligam, & tamen vis habere vitam malam. Si tibi possent respondere bona tua, nonne tibi clamarent, sicut tu nos bona vis habere, sic & nos volumus habere bonum dominum. (a) Chrysostomus domesticorum neminem negligendum docens: Tu equum quidem, non despicis, nec asinum, & nihil non facis ne mali fiant & vitiosi: Servos autem despicis, qui sicut tu sunt animati. Et quid dico servos? Cùm filios quoque despicias & filias. Sed scias, &c. Qui quæ ad domesticos suos pertinent, non probe instituit, difficilius quæ ad alienos spectant, dispensabit.

Paterfamilias, ut in fabulis est, rerum suarum minùs satagens & nonnunquam obliviosus ædiculam gallinariam non obseravit. Vulpes stimulante gulâ, in popinam hanc clanculum perrepsit, & non solum convivam sed lanionem & cocum egit, lautissimamque ipsa sibi paravit cenam, & gallinas ad unam omnes jugulavit. Paterfamilias manè revisens ad gallinarium mera invenit funera non sine iracundo luctu. Hic cani gravissimè indignatus, ut custodi negligentissimo, plagis etiã multavit ignavissimum excubitorem. Canis acceptâ injuriâ factus audacior, & patrifamilias insultans: Si tu, inquit, mi here, cui pullastros & ova dant gallinæ, neglexisti ostium occludere, quid mirum si ego qui nihil commodi à gallinis capio, aliquantulum obdormierim, & ita venien-

(a) *Aug. serm. 12. de Verb. Dom.*

nientem vulpem non senserim. Nec enim sperandum est diligentem fore familiam si familiæ dux sit negligens. Neque verò etiam cogitandum familiam fore piam, si paterfamilias sit impius. Qualis rex, talis grex: Sicut populus, inquit Isaias, sic sacerdos, & sicut servus, sic dominus ejus: sicut ancilla, sic domina ejus. (a)

Epictetus, etsi familiam amplam non duxerit (unica ei anus serviit) ducendæ tamen optimas præceptiones suggerens: si rem familiarem, inquit, probe administrari cupis, Spartiatam Lycurgum imitare. Vt enim is urbem non mœnibus cinxit, sed cives virtute muniit; sic tu ne magnam domum complectere, sed habitatores benevolentiâ, fide, amicitiâ confirma. Sic nihil eam mali ingredietur.

Plinius Secundus nobilissimâ panegyri Trajanum suum dilaudans: Est magnificum, inquit, quòd te ab omni contagione vitiorum reprimis ac revocas, sed magnificentius quod tuos. Quanto enim magis arduum est alios præstare bonos quam se, tanto laudabilius quod cum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti. (b) Ab eodem calamo ad eundem sunt & ista: Video quàm molliter tuos habeas: quò simplicius tibi confitebor, quâ indulgentiâ meos tractem. Est mihi semper in animo Homericum illud: πατὴρ ὡς ἤπιος ἦεν. Et hoc nostrum, PATER FAMILIAS. Quod si essem naturâ asperior & durior, frangeret me tamen infir-

(a) *Isa. c. 24. v. 2.*
(b) *Plin. paneg. ad Trajan. c. 83.*

infirmitas liberti mei Zosimi, cui tantò major humanitas exhibenda, quantò nunc illâ magis eget. (a) An non verissimè beatus Paulus dixerit: Si quis autem suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli (nominato Plinio) deterior? (b) Ergo Salomon Oeconomus docet quâ ratione Ordinem, pacem, parsimoniam, pietatem conservemus in domo. Oeconomia optima est, quæ sic tractat facultates caducas, ut non perdat æternas.

(a) *Idem l. 5. epist. ep. 19.*
(b) 1 *Tim. c. 5. v. 8.*

CAPVT III.
Salomon Architectus.

Socrates & Plato censuerunt Architecturam non tantum egere aliarum scientiarum præsidio, sed artium esse artificiosissimam. Vitruvius Architecturæ facile princeps, pręfatione sui voluminis ad Augustum Imperatorem: ut majestas imperii, ait, publicorum ædificiorum egregias haberet auctoritates. Sed & artem hanc definiens: Architectura, inquit, est scientia, pluribus disciplinis & variis eruditionibus ornata, cujus judicio probantur omnia quæ à ceteris artibus perficiuntur opera. (a) Augustinus architecturæ scientiam spiritum sapientiæ appellat. (b) Thomas Aquinas archi-tectos

(a) *Vitruvius in dedicatione ad Aug.*
(b) *Aug. quæst. 139. in Exod.*

tectos jure sapientes vocari existimat. *(a)* Beatus Paulus in litteris ad Corinthios: Secundum gratiam quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui. *(b)*

Ergo Salomoni plane non indecorum, fuisse architectum. Nam eâ Salomon architecturæ scientiâ pollebat, ut Græcos omnes & Romanos longissime superarit. Latium & Græcia hac in re balbutiit, si Salomonis in eâdem sapientiam spectemus. Vitruvii omnes & Vegetii Salomonis vix discipuli fuissent. Quod verò Salomon scivit, hoc à patre & Deo hausit. Regum chronicon testatur: Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cænaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis, nec non & omnium quæ cogitaverat atriorum, & exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros sanctorum, divisionumque sacerdotalium & Leviticarum, in omnia opera domus Domini, in universa vasa ministerii templi Domini. *(c)* Ita facile est discere, cùm ars infunditur. At non templi solum conditor fuit, sed alia plurima tam in urbe quam extra illam ædificavit. Nam finito templo mox sibi domum regiã struxit: ab utriusque structuræ magnificentiâ incredibili, jure merito Salomon architectus dici potest. Quo autem successu ædificarit, quot à templo ædificia struxerit, quâ laude id fecerit, exponemus hoc capite.

Veteri

(a) *S. Thom. l. contra gentes c.* 1.
(b) 1 *Cor. c.* 3. *v.* 10.
(c) 1 *Par. c.* 28, *v.* 11. *& seqq.*

Veteri verbo jactatur : Magna avis , magnus nidus. Nec enim Aquila & Acanthis simili modo nidificant. Rex Hebræus Salomon velut aquila amplissimum sibi nidum ædificavit : nam templo jam absoluto sibi etiam domum condidit. Nec Deus factum improbavit , quando partes priores habuit. Imò Deus velut in suum famulum gratus, alterum tantum temporis spatium Salomoni concessit ad regiam domum ædificandam , cùm enim templi structura septem annos exegerit,regia domus annos sibi tredecim postulavit. Sic annis viginti domus utraque inædificata est. Quanto autem splendore,quantâ amplitudine palatium Salomonis sit structum , facillimum est conjectare à tempore & multitudine operarum. Operarum ac cæmentariorum qui Hierosolymis tantùm laborarunt , centum sexaginta quinque millia sunt numerati : Architectorum & eorum qui operi urgendo præerant tria millia , trecenti fuerunt. Probabilissimum hos omnes tot operarios, si non plures , traductos à templo ad augustissimam Salomonis domum condendam. Si ergo præter centum millia , insuper & sexaginta quinque millia in opere faciendo quotidie laborarint , quantas substructionum moles tredecim annis educere potuerunt,præsertim cùm tot essent qui opus urgerent. Vrbem aliquis fuisse dixerit,Salomonis basilicam.De Neronis palatio vetus canit satyricus :

Roma domus fiet, Vejos migrate Quirites.

Hoc autem Deus Salomoni ut dicebam , lo-

co

co muneris pro ædificato templo concessit. Voluit David ædificare templum Domino. Hanc Deus voluntatem adeò probavit, ut ad eum miserit prophetam Nathan qui diceret: Annuntio tibi quod ædificaturus sit tibi Dominus domum. Cumque impleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, & stabiliam regnum ejus. Ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium ejus usque in æternum. *(a)* Quod David pater voluit, Salomon filius re perfecit. Si voluntatem ædificandi templi tantopere remuneratus est Deus, ne miremur ædificationem & opus ipsum liberalissime repositum. Nemo gratis famulatur Deo, etsi velit famulari gratis.

Cur autem templum citius profana domo absolutum? Ejus rei caussas reperio plures. Prima; non sumptus tantum sed omnia quæ ad structuram necessaria, jam erant paratissima & in promptu, à parente rege filio relicta. Altera, Dei favor eâ in re singularis: vires Numen suggerit sui causâ laborantibus. Tertia, major operarum alacritas & industria, in hoc Dei opere conficiendo. Idcirco Sophonias postulat, ut serviamus Deo, humero uno: hic fervet opus. Quarta, videtur Salomon tria distincta construxisse ædificia. Ita Regum fasti loquuntur: Domum autem suam ædificavit Salomon tredecim annis & ad perfectum usq; perduxit. Ædificavit quoq; domum saltus Libani. *(b)* Domum

(a) 1 *Par. c.* 17. *v.* 10. *& seqq.*
(b) Lusthauß.

mum quoque fecit filiæ Pharaonis (quam uxorem duxerat.) Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quandam atque mensuram tam intrinsecus quàm extrinsecus serrati erant. (*a*) Hoc tamen triplex ædificium, propriè una erat domus. Post viginti annos in templo & basilicâ extruendâ consumptos, ad alia se vertit ædificia rex Salomon. Nam prioribus successerunt urbis mœnia. Triplicem habuit ambientem murum Hierusalem, unum, rex David condidit, rex Salomon alterum, qui totam urbem clauderet. (*b*) Quantus fuerit vel inde licet colligere. Septuaginta tria stadia urbs ambitu suo est complexa, (*c*) pæne totum milliare Germanicum, nihilominus triplici vallata est muro, non tamen per omnem gyrum continuato. Murus primus nonaginta turres habuit ducentorum cubitorũ intervallis distinctas. Alter murus turres habuit quatuordecim: Tertius sexaginta. Hic certe Salomoni uberrima materies ædificandi fuit.

Post tot annos quos Salomon in ædificiis urbicis consumpsit, eâdem fere industriâ alibi locorum architectonicæ amorem exhibuit, & urbes totas à fundamentis condidit. Regum chronicon pro testimonio se sistens: Expletis autem, inquit, viginti annis postquam ædificavit Salomon domum Domini, & domum suam: civitates quas dederat Hiram Salomoni, ædificavit, & habita-

re

(a) *1 Par. c. 7. v. 1. & seqq.*

(b) *Ita Iac. Salianus tom 3. Annal.*

(c) *8. Stadia constituunt milliare Italicum, 4. Italica commune Germanicum.*

re ibi fecit filios Iſraël. Abiit quoque in Emath ſuba,& obtinuit eam. Et ædificavit Palmiram in deſerto, & alias civitates munitiſſimas ædificavit in Emath. Extruxitque Bethoron ſuperiorem,& Bethoron inferiorem, civitates muratas habentes portas, & vectes, & ſeras: Balaath etiam & omnes urbes firmiſſimas quæ fuerunt Salomonis,cunctaſque urbes quadrigarum, & urbes equitum: Omnia quæcunque voluit atque diſpoſuit,ædificavit in Hieruſalem,& in Libano, & in universâ terrâ poteſtatis ſuæ. (a) Ita quaſdam civitates inſtauravit, quaſdam firmavit. Pax Salomonis multo tempore non fuit otioſa.

Porrò ædificiorum triplex eſt genus,Neceſſarium, utile, Voluptarium.

Neceſſaria ſunt ædificia,quæ ſibi vitæ ſecuritas depoſcit. Hieroſolymis ævo Nehemiæ facta reſtauratio murorum quam Sanaballat impedire conatus eſt.Ita codex ſacer: Et factum eſt, inquit, à die illâ,media pars juvenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum &c. unâ manu ſua faciebat opus & alterâ tenebat gladium. Ædificantium enim unuſquiſque gladio erat accinctus renes.(b)Hoc profectò ædificium viſum eſt neceſſarium. Sic multa Salomon, ſic Salomonis filius Roboamus quindecim urbes condidit.

Vtilia porrò ædificia ſunt, quibus carere poteſt Reſpublica, ſed ſimul etiam carere debet commodis quæ inde publico accedunt;

C

(a) 1 *Par. c. 8. v. 1. & ſeqq.*
(b) *Eſdræ c. 4. v. 16.*

duntur: ut sunt viæ amplæ, aquæ ductus, porticus, domus vili pretio locandæ.

Ad voluptatem denique sunt ea, de quibus ipse Salomon experientissimus testis: Magnificavi, ait, opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus. Et extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium. Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. (a) Transcendi limites, non nego, & modum excessi.

Verùm Nabuchodonosor ob ædificationes multò graviùs reprehendi potuit. Vociferatur Habacuc: Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate. (b) Babylonem struxit Nabuchodonosor, sed prius pauperes exsuxit, eorumque inemptos sudores suis impendit structuris. Ideo & Michæas clamans: Qui ædificatis Sion in sanguinibus, inquit, & Hierusalem in iniquitate. (c) Sed Nabuchodonosore deterior Pharao, qui Hebræos ut canes flagellari jussit, ut tantò laborarent contentiùs, quantò acerbius vapularent. (d) In Salomonem Mello ædificantem rebellis fuit Ieroboamus. Menoch. 542.

Contra

(a) *Eccles. c. 2. v. 4. & seqq.*
(b) *Habac. c. 2. v. 12.*
(c) *Mich. c. 3. v. 10.*
(d) *Exod. c. 2.*

Contra vero ſæpius in divinis codicibus laudantur, qui ædificia ſemiruta præſertim ſacra reſtaurarunt: uti fecit rex optimus Ioſias, quo imperante decretum eſt ut conſtetur pecunia, quæ illata eſt in templum Domini, quam collegerunt janitores templi à populo, deturque fabris per propoſitos domus domini, qui & diſtribuant eam his qui operantur in templo Domini ad inſtauranda ſarta tecta templi: tignariis videlicet, & cæmentariis, & iis qui interrupta componunt, & ut emantur ligna & lapides de lapidicinis ad inſtaurandum templum Domini.(a) Ita Iudas Machabæus victo Lyſiâ templum à ſordibus purgavit & vetuſtate collapſa reſtauravit.(b) Pars Oeconomiæ eſt ædificia ruinam minitantia, priuſquam penitus collabantur, reſtaurare. Ædificandi leges hæ fere ſunt.

Prima, ſeipſum interrogare, quod ædificii genus, num utile, num neceſſarium, num voluptarium vis tibi ſumere? Impenſas igitur ceteraque omnia ad finem præſtitutum dirige. Altera, ſententias multorum exquirere, & futuram ædificationem conſideratiſſime ordiri, ne aut error ſequatur æternus, aut ingenti cum damno adhibeatur, ſera emendatio. Diu cogita, tarde ædifica. Tertia lex eſt, ſumptibus non parcere, alioqui nec firma nec durabilis ſurget ſtructura. Laxandi ergo ſunt loculi ædificaturo. Nametſi egenis tantum aut ægrotis ædificandum, quia tamen multorum bono & diu-

(a) 2 *Reg. c.* 22.
(b) 1 *Machab. c.* 4.

turnum quid ſtruendum, liberali manu id faciendum eſt. Subinde pretio ducentorum aut trecentorum florenorum parcitur, cùm potius mille forent erogandi, ut vel commodior vel firmior excreſceret domus. Gloriatus olim Auguſtus Imperator; Romam, ajebat, lateritiam accepi, relinquo marmoream.

Quòd ſi rem ad vivum reſecemus, architecti ſumus omnes, ſed cæmento & lapidibus utimur diverſis. Aperte Paulus ſui officii quemque commonens: Si quis autem, inquit, ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos; ligna, fænum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit; quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur. (a) Quiſquis virtutes ſolidas ſectatur quadro marmore, ferro, chalybe, auro ſtruit & gemmis; nam modò Humilitatem, modo patientiam, modò charitatem exercet. Quiſquis exteriora ſolum ſpectat, & nitidam amat ſuperficiem, ligno, ſtipulâ, fœno ædificat parietem concratitium: (b) domus muratæ formam habet, firmitatem non habet. Videas ejuſcemodi homines itare ad templum, intereſſe rei divinę, precationum aliquid demurmurarę: cor inſpice, merum intus ſunt lutum, nullus in eis ſpiritus, vera charitas nulla, parũ patientiæ;

(a) 1 *Cor. c.* 3. *v.* 13.
(b) Baut in die Rigel.

tiæ, Humilitatis nihil. Si horum opus arserit, detrimentum patientur. Subito letalis noxa omnem illam subruit structuram. Malè struit cujus structura non altius identidem atque altius exsurgit: ruinæ præbet speciem ea domus quæ toties decrescit, & seipsâ fit minor. Qui non in dies patientior, submissior, constantior esse studet, in virtutis tramite viam relegit, & regreditur, quisquis non procedit. Quandoque autem ædificandum est, quemadmodum ævo Nehemiæ, cum trullam una manu, altera tenerent gladium: ita partim vitiis & aggressori diabolo resistendum, partim insistendum solidis virtutibus, ut in dies crescat ædificatio, cujus prima & simplicissima rudimenta & principia sunt ista: Si à fundamentis fabrica sit erigenda, ab imo, & ab egestâ humo incipiendum est; sin autem demoliendum sit ædificium, à tecto incipiendum. Ita prorsus si serio domum male materiatam & vitiosè compositam destruere, si pravos mores corrigere velimus, ordiamur à tecto; superbiæ fastigium est ante omnia demoliendum, dejiciendus elationi spiritus; sin autem educenda moles in altum, à fundamento Humilitatis incipiendum. Aptissimè ad institutum Augustinus: Magnus, inquit, esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita Humilitatis. Quantum quisque vult superimponere molem ædificii, quantoque majus disponit ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in suprema con-

surgit; qui autem fodit fundamentum ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur.(a) Hæc spiritalis ædificationis ratio est. Ædificium ruinosum struit, quisquis non ab Humilitate incipit.

(a) *Augustin. serm.* 10. *de verbis Domini.*

CAPUT IV.

Salomon Industrius.

Consilium Salomonis est: Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit in æstate, filius confusionis.(a) Qui cum bono Deo cogitat facultes sibi parare, industriam ingeniosam adhibeat necesse est. Quod aliis suasit Salomon, hoc ipse præstitit, opes immensas acervavit, in quo maximum ei adjumentum fuit sapientia. Nam, si divitiæ appetuntur in vitâ, quid sapientiâ locupletius, quæ operatur omnia? (b)

Romani princeps eloquii narrat philosophis sæpius objectum philosophiam seu sapientiæ studium nihil facere ad lucrandum panem:(c) quod profectò Thales insigniter refutavit, asseruitque philosopho facillimum ditari si velit; quod & reipsâ ostendit: siquidem vir doctus & prudens prævidit anno sequenti uberrimum olearum fore proventum. Quapropter, in toto Milesiorum

(a) *Prov. c.* 10. *v.* 5.
(b) *Sap. c.* 8 *v.* 5.
(c) *Cic. l.* 1. *de divinat.*

rum agro, quidquid olearum fuit, omnesque illarum fructus in annum proximum antequam florerent, coëmit. Eâ re lucrum ingens, incredibile sibi comparavit, & ita os obtrectatorum obturans: Ite, ajebat & dicite philosophiam non esse lucrosam: unà etiam ostendit, quid posset industria.

Salomon ut opes à patre acceptas augeret, magnificâ usus est industriâ, quam libri Regum commendant his verbis. Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est juxta Ailath in littore Maris rubri, in terrâ Idumeæ. Misitque Hiram in classe illa servos suos, viros nauticos & gnaros maris cum servis Salomonis. Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem.(a) Hoc primò quærendum nobis, quò navigarit Salomonis industria, & quid ea sibi thesaurorum pararit. Explicabimus deinde, quomodo rebus in omnibus industria sit adhibenda.

(a) *1 Reg c. 9. v. 26. & seqq.*

§. I.

Non subitò ditatus est Salomon, sed nec lente debuit opulescere: argento & auro abundavit dum pius fuit, dum templum pia animi alacritate ædificavit. Præcpiuus fons opum à quo argentum & aurum abundè hausit, fuit annua navigatio, quam instituit in Tharsis & Ophir per maria diversa. Quamvis philosophi contendunt unicum esse mare, sed diversis nominibus. Hæc navi-

gatio sic instituta est, ut annis singulis naves emitterentur, sed nullæ redierunt ante annum tertium. Hæc classis mitti cœpta est decimo quarto anno regni, (a) cùm Salomon fundamenta templi jaceret. Lis maxima est, quo classis illa navigarit. Sacrum volumen asserit in Tharsis & Ophir. Sed ubi terrarum hos auri fontes reperiemus?

Scriptor ab Hispania scriptione prolixa probat, classem unam in Hispaniæ provinciam isse, quæ Tharsis Bætica, aut Tharsica Bætis appelletur. Alii Tartessum nominant. Vulgo Sevilia dicitur. Firmare sententiam videtur rerum illic omnium, argenti præcipuè & auri abundantia. Martino Delrio peregrinus in litteris est qui veteris Hispaniæ opes è nobilioris metalli antris erutas ignoraret. Iustinus ultimo Historiarum libro, Hispaniam mirifice commendans; Hinc ait, temperato calore, inde felicibus & tempestivis imbribus in omnia frugum genera fecunda est. Nec summa tantum terræ laudanda bona, verum & abstrusorum metallorum felices divitiæ. In hac cursus fluminum, non torrentes rapidique ut noce n ; sed lenes, & vineis campisque irrigui, æstuariisque Oceani affatim piscosi. Plerique etiam divites auro, quod in laudibus vehunt. Galleciæ regio cum æris & plumbi uberrima, tum minio, quod etiam vicino flumini nomen dedit. Auro quoque ditissima, adeo ut etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant. (b) Strabo quoque Hispaniam

(a) *Ita Salianus Pineda ait, quarto.*
(b) *Iustin. l. 44. hist. mihi pag. 343.*

niam Bæticam laudans: Nimirum, inquit, rarum eſt, cum metallorum habere, tum frugum copiam. Aurum hîc foſſile & fluviatile. Plinius Major cum prioribus ſentiens: Mirum, inquit, adhuc per Hiſpaniam ab Annibale inchoatos puteos durare ſua ab inventoribus nomina habentes, ex quibus Bebelo appellatur hodieque qui trecenta pondo argenti Annibali ſubminiſtravit in dies. (*a*)Hinc Carthago in Romanos tam potens fuit.

Pineda noſter epiſtolam in lucem dedit Franciſci Teſada optimatis Hiſpani, qui Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, die 17. Iulii, Madrito Hiſpalim ſcribens ad fratrem: Vnica, inquit, auditione accepi, in numero & catalogo deſcriptas in noſtra Hiſpania patefactas fodinas plures quingentis, uberrimas atque pretioſi metalli refertiſſimas, & quæ, ſi operæ non deeſſent, longe maximo quæſtu exercerentur. Fuit Hiſpanus hic primas, ſupremus præſes in argenti & auri fodinas, quæ ſuis foſſoribus ita reſponderunt, ut inde laquearia, & anchoræ fierent argenteæ.

Ergo, ſi huic ſententiæ fides, Salomonis navigatio in Hiſpaniam vela direxit. Negat hoc Gallus ſcriptor, & è Geographia docet non inutilem ſolum ſed & periculoſam quoque futuram fuiſſe hanc navigationem, cui Africa fuiſſet circumeunda. Vt ego me inter viros ſerio eruditos ſequeſtrum aut indicem interponam, meatum eſſe partium non cenſeo. Tibi, mi Lector, hanc contro-

 ver-

(a) *Plin. l. 33. hiſt. Nat. c. 6.*

versiam illibatam à meâ censurâ trado: Integrum tibi sit, opinionem alterutram amplecti. Ophir autem, sententia vulgata vult insulam aut provinciam in India Orientali fuisse, seu Peru, sive Taprobonam, aut Summatram vocemus. Hæc meo judicio, parum certa vel liquida: è libris divinis hoc habemus testimonii: Classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & simias, & pavos. (*a*) De Ophir Regum Chronicon testatur: Sed & servi Hiram cum servis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, & ligna thyina, & gemmas protiosissimas. (*b*)

Annis ergo singulis quantum auri ad regem rediit? Sacræ paginæ apertissimè loquuntur hunc in modum: Erat autem pondus auri quod offerebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta talentorum auri: excepto eo quod afferebant viri, qui super vestigalia erant, & negotiatores, universique scruta vendentes, & omnes reges Arabiæ, ducésque terræ. (*c*) Ita, si Saliano credimus, unicum navigationis lucrũ, octo milliones auri, trecenta & vigintiquinque millia numorum aureorum constituit. Hanc auri summam ingentem quot annis regium ærarium recepit, aliis reditibus non computatis. Res liquida è sacris paginis. Auctarium prorsus nobile, octo auri milliones

&

(a) 1 *Reg. c.* 10. *v.* 22.
(b) 2 *Par. c.* 9. *v.* 14.
(c) 1 *Reg. c.* 10. *v.* 14.

& pæne dimidius. (*a*) Hanc auri vim Salonis peperit induſtria.

Induſtria, quod Ariſtoteli placet, pars prudentiæ, rebus in omnibus habet locum, præſertim honeſtis: nam frequens eſt exercitium circa rem honeſtam. Ergo induſtria docilis, ingenioſa, ſollers diligentia. Diligens fuit Semei, ſed ſtupidiſſime ſuoque malo, nec enim advertit ſedulus nequam, cum capitis diſcrimine in Geth extra urbem ſe proficiſci. Induſtria porro in his talibus præcipue ſpectatur.

I. In victu parando mille adhiberi poſſunt induſtriæ. Cleanthes pecuniolam à ſe collectam coram amicis projiciens: Cleanthes, inquit, alterum Cleanthem poſſet alere. (*b*) Sunt civitates in Germaniâ in quibus ea magiſtratus vigit induſtria, ut incolarum nemo mendicet: nam aut loborare cogitur, aut providetur illi de victu cum laboris eſt impotens. Laudanda, ſed & imitanda induſtria.

II. In artibus exercendis. Sunt nonnunquam opifices mechanici, qui ſua induſtria omnes urbis incolas ad ſe traherent, ſi pares labori eſſe poſſent. Cerdonem novimus, qui idem cum aliis corium in calceos formabat, ſed eam addebat induſtriam, ut nemo non cuperet ab hoc opifice calceari. Ælianus memorat Nicoſtratum & Laodocum citharædos dando artis ſpecimine concertaſſe. In eo certamine Nicoſtratus: Da veniam, inquit, mi Laodoce: In arte magna es

(a) *Pineda duodecim ferè auri milliones ſtruit.* (b) *Laërt. l. 7. c. 2.*

es exiguus, ego in exigua magnus.(a) Industria cares, qua utor. Cum Minerva manus movenda.

III. In valetudine curanda plurimum potest industria. Homo industrius observat quid valetudini obsit, quid prosit; illud fugit, quærit istud. Compotationis & convivia me saniorem non reddunt, ergo cavebo: abstinentia omnium morborum medicina, illam ergo sectabor: mensuram stomachi mei non excedam, quantum mihi sufficiat in prandium, quantum in cenam, novi; hoc sumam: nefas ultra quidquam addere. Quidquid ultra necessitatem est, non alimentum, sed nocumentum, sæpe venenum est.

IV. In servitiis præstandis. Herus qui famulum cernit industrium, mox illi faventem adjicit oculum. Industrius autem famulus cum vestes domini componit, non tantum sedulo eas purgat, sed & plicas veteres observat; eandem in aliis sollertiam præstat. Ignavus & negligens omnia oscitanter & temere facit. Ignavia sibi odium, favorem sibi conciliat industria & amorem. Hinc Pharao rex Ægyptius Iosepho de fratribus benignissime respondens: Quod si nosti, ait, in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum. (b)

V. In litteris colendis. Hîc plurimum valet industria, quæ in eo sese potissimum exerit, ut nunquam legat, quin etiam annotet ac excerpat; si desit charta, pallio, manticæ, stro-

(a) *Ælian. l. 4. var. hist. c. 2.*
(b) *Gen. c. 47. v. 6.*

ſtrophio, manibus inſcribit notanda. Videte Iuſti Lipſii Politica: quàm elegans contextus è verbis auctorum optimorum. Hæc ſine plurimis excerptis ita concinnari non potuerunt. Hoc & induſtrii pictores faciunt, qui ubi venuſtius & artificio rariori pictum aliquid cernunt, induſtrio mox calamo depingunt. Salvius Iulianus dicere ſolebat: Etiamſi jam alterum pedem tumulo intuliſſem, etiamnum tamen diſcere vellem. Induſtria vera non facile umquam fatigatur.

VI. n laboribus omnibus ſuſcipiendis, Vetus verbum eſt: Bovem dat Deus, ſed laboranti: (a) Piper & pecuniam, oves & boves parit induſtria. Salomon matrem familias egregie induſtriam depingens: Quæſivit lanam, inquit, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longe portans panem ſuũ. Et de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Conſideravit agrum, & emit eum, de fructu manuum ſuarum plantavit vineam, &c. Non extinguetur in nocte lucerna ejus: ridebit in die noviſſimo. (b) Veriſſimè dixit Eccleſiaſtes: Poſt induſtriam ſequetur ſapientia. (c)

VII. In excolendo ſpiritu. Induſtria ſpiritalis probitatem, ſanctimoniam, & omnem pietatem mirifice accendit. Hæc quoque induſtria, uti priores, notat, ſcribit, obſervat, omnia in ſui documentum trahit, ſibi

dex-

(a) S. Nicłas beſchert wol die Kuhe/ liefert ſie aber keinem an das Sall.

(b) *Prov. c. 31, 13. & ſeqq.* (c) *Eccl. 10. 10.*

dextre applicat omnia: nec meliora dicta, & sacras sententias è divinis litteris, patribusque priscis negligit; in omnes eventus adversus tentationes omnes se armat. Hac industria viri sanctissimi sunt usi. Bernardus languidiorem se sentiens ipse sibi occinebat: Bernarde ad quid venisti? Hieronymus seipsum assidue ad meliora extimulans: Sive comedam, inquit, sive bibam, semper mihi audire videor terribilem tubam: Surgite mortui, venite ad judicium. Franciscus Assisias illud in ore ac corde semper habuit: Deus meus & omnia. Maximilianus II. Imperator istud identidem usurpavit: Deus meus & omnia. Philippus Diesius narrat hominem domo nobilem sed animo è sacris concionibus alienissimum, dicto illo: Bonum quod tibi vis fieri, fac & tu alteri: (a) ad frugem correctum esse. Ita quandoque homo exerrans verbulo unico seipsũ in ordinem redigit, monétque officii, quemadmodum auriga notus vel vocula insolentes equos corrigit. Ita in mœrore sibi quisque dixerit: Quare tristis es anima mea & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei. (b) Cum animus angoribus aut desperatione urgetur: In te Domine speravi, non confundar in æternum. (c) Cum fervet ira: Virum stultum interfecit iracundia. (d) Aut dicat sibi tam biliosus: Heus homo calide, rursus insanis? Cum autem

(a) *Diez. tom. 2. p. 2.*
(b) *Psal. 42.*
(c) *Psal. 30.*
(d) *Iob c. 5.*

tem caro & libido pelliciunt, versentur in animo ista: Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. *(a)* Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *(b)* Cum calumniæ mordent, cum calumniæ vellicant: Vsque in tempus sustinebit patiens. *(c)* Sustinete modicum. Cum inimicus in oculis est, sit illud in animo: Christus crucifixus, mortuus, sepultus pro hostibus, Iudæ proditori pedes lavit, corpus suum & sanguinem eidem in cibum præbuit: pro crucifigentibus se (Pater dimitte illis) è cruce clamavit. Talibus se dictis munit industria spiritalis, & ad tempus belli se præparat, easque sibi seligit sententias quæ in adversis erigant, excitent, firment, conservent. Ita Mater Domini IESV. Maria conservabat omnia verba hæc, conferens ea in corde suo: dicta de filio inscripsit cordi. Qui hanc industriam aut ignorat, aut non usurpat, ille in rebus turbidis impatiens, asper, pusillanimis & dejecti animi, ante congressum cum hoste abjicit clypeum, consiliis inops & auxilii in turpi fuga quærit salutem. Industria his malis aut obstare potest aut mederi. Operemur igitur consilio manuum nostrarum, & videbimus, quia bona est negotiatio. *Salomon industrius* præit exemplo. Industria cum patientia potest omnia.

(a) 1 *Cor. c.* 15. *v.* 50.
(b) *Gal. c.* 5. *v.* 21.
(c) *Eccli. c.* 1.

CAPVT V.

Salomon Dives.

INterrogatus olim Simonides: Num Opulentia magis expetenda videatur an Sapientia? Anceps hæreo, ajebat: nam divites à ſapientibus ambiri video. Philoſophos ſui ævi non obſcurè perſtrinxit, qui divitias verbis ſpernerent, re captarent divitum palpatores. Si quis Simonidem interrogaſſet: Num opulentia & ſapientia conjunctæ, non pluris faciendæ, quàm alterutra ſola, vix amplius dubitaſſet. Nam vera ſapientia moderari poteſt opulentiæ.

Salomon optione conceſsâ eligendi ac petendi quod vellet è duobus, ſolam petiit ſapientiam, quod ſuo tempore docebimus. Verum liberaliſſimus Deus, utrumque largitus opulentiam & ſapientiam: Sed & hæc, inquit, quæ non poſtulaſti do tibi, divitias ſcilicet & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tui in regibus, cunctis retro diebus. (*a*)

Stagiræus præceptor Ariſtoteles de divitiis primævis ita ratiocinatur. Cum naturæ gremium profundat herbas & plantas animalibus brutis, hæc autem in hominis uſum ſint, ſatis ſit evidens, ut qui paratiſſimus eſt ab agris & pecore, is etiam cenſendus ſit ditiſſimus naturæ beneficio. Hinc ſui priſcis theſauri, ab agricultura ſcilicet, & à pecore collecta pecunia. Hoc ærarium habuit & Salomon, ut diximus, ſed non unũ hoc & ſolum.

(a) 1 *Reg. c.* 3. *v.* 13.

lum. Plura illi fuere gazophylacia, ut jure merito dici potuerit, *Salomon dives.* Hoc quidem capite Salomonem divitem, sequenti opulentum etiam & prædivitem ostendemus.

§. I.

Lysander Cyro juniori gratulaturus: Rectè, inquit, te beatum ferunt, quoniam sapientiæ tuæ fortuna juncta est. Iure multò potiori de Salomone hoc affirmem, qui tam fuit dives, ut nemo fuerit similis ei in regibus. Cyros, Sardanapalos, Darios, Crœsos fuisse divites non negamus, sed poterant hi reges mendicare ad fores Salomonis. Rex David argenti & auri fontes multos habuit, sed habuit plures & largiùs fluentes. Rex Salomon. Numeremus hos auri fontes.

I. Fons auri. Vectigalia & portoria è diversis mercimoniis & rebus aliis usui quotidiano necessariis.

II. Fons, Tributa dari solita ab omnibus provinciis, quas David parens suæ potestatis fecit. Nam Syri, Moabitæ, Damasceni, Amalecitæ, Idumæi, & omnes trans Iordanem reges Syri tributa pendebant. Hoc servitutis proprium. Atque hoc prorsus erat servire: sed nec Israëlitæ à tributis omnibus immunes; nam à rege primo Saule tributi aliquid dabant omnibus regibus.

III. Fons auri, Dona Regum & gentium. Arabiæ reges à Davide nunquam oppugnati, nunquam victi sunt: nihilominus ut Hebræorum regum, præcipuè Salomonis favorem sibi conciliarent, ad illius genua per

aureos gradus ascenderunt. Chronicon regum testatur: Omnésque reges Arabiæ & satrapæ terrarum, comportabant aurum & argentum Salomoni.(*a*) Voluntaria hæc oblatio à Davidis sceptro sumpsit initium, sed uti facillimum consuetudinem in leges trahere, Salomone Imperante in jus transiit, ut ista annis singulis velut ex debito deferrentur ad Hierosolymæas arces. Res clara è divinis libris: Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos per singulos annos. (*b*) Nec reges tantùm, sed etiam dynastæ, idque ex Africâ, Asiâ, Europâ Salomonis vultum metallo regio placabant.

IV. Fons auri, spolia è bellis opimissima, & partem maximam aurum. Argento vile stabat pretium. Peltæ, gladii, pharetræ, arcus non rarò à barbaris ex auro fiebant. Quantum auri rex Adarezer in hunc fontem derivavit, quantum dederunt aliæ urbes victæ, tam in Asiâ quàm Africâ, quæ aurifodinas & metallarios tot támque industrios aluit, ut pæne neglectui esset agricultura.

V. Fons auri, Capitatio. Singula hominum capita qui ad annum vigesimum pervenerunt, ex omni Iudæâ didrachmum seu dimidium siclum, octo sestertios pendebant.(*c*) Sed hæc pecunia sacra. Hierosolymis autem, Iosepho teste, numerati homines bis millies millena quingenta quinquaginta

sex

(a) 2 *Par. cap.9. vers. 31.*
(b) 3 *Reg. cap.10. vers.25.*
(c) 4. Batzen.

ſex millia hominum. Ævo Ioſaphati regis numerabantur undecies centena & ſexaginta millia bellatorum, aliis demptis omnibus. Quid jam alibi locorum, cùm ævo Caligulæ in unâ Ægypto decies centena millia Iudæorum cenſebantur. Ergo annuatim templo illati octoginta quinque milliones, inſuper trecenta ſexdecim millia ducatorum Hiſpanicorum.

VI. Fons auri. Hæreditas à patre David relicta. De hac Ioſephus differens: Tantas, inquit, divitias hæredi reliquit rex David, quantas nullus alius rex vel Hebræorum, vel aliarum gentium.(a) Quid porrò reliquit templo David? Fidem ſpero, mi Lector, non negabis tam notis teſtibus. Vox Chriſti eſt: In ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum. Quinque huc ſiſto, & putem fide dignos teſtes: Cornelium de Lapide, Ioannem Baptiſtam Villalpandum, Hieronymum Pradum, Ioannem Pinedam, Iacobum Salianum. Horum primus Chronicon regum interpretatus alicubi: David Salomoni ait, pro templo reliquit, bis mille quadringentos milliones auri. Millionem voco decies centena millia aureorum. (b) Hæc auri ſumma vix totâ hodieque reperietur Europâ. Villalpandus & Pradus theſauri tam immenſi calculum ponentes: David Salomoni, ajunt, reliquit bis mille octoginta duos milliones, centum triginta quatuor millia, viginti quatuor ſcutatorum Roma-

(a) *Ioſeph. lib. 7. Antiquit. cap. 12.*
(b) *Cornel. de Lapide in c. 38. Exodi fine, idq; probat ut rem claram ex 1. Par. c. 22. v. 14.*

norum. (*a*) Pineda hanc subducens summam: Quòd si rectè computes, inquit, propè accedit ad tria millia millionum auri ex Hispanicis ducatis. Sic enim illa centum millia talenta auri, de quibus sacri codices, explicanda. Salianus in eundem modum rationes colligens: Non immeritò, inquit, dici potest impensa in templum Domini tria millia millionum auri. (*b*) Prô auri vim sacram, opésque divinas! Verè divinæ, quia Dei benevolo nutu in Davidis manus consignatæ. Quantum auri Salomon sibi servarit ad tuendum pompam regiam, quantum ejusdem metalli in sepulchrum patris abdiderit, explicabimus, cùm de Salomone Magnifico agemus.

Itaque Rex Salomon auri fontes à Parente David relictos repetit, & plures effodit: Inventis addidit, nova invenit, auxit accepta, ampliavit modica, commissa sibi propagavit industriâ & sapientiâ incredibili. Sapientia profectò quæstuosissima est. Quod ipse Salomon testatus: Venerunt autem mihi, ait, omnia bona pariter cum illâ; quoniam horum omnium mater est. (*c*) Hîc de facultatibus & divitiis paucula notemus.

I. Divitiæ sunt ambidextræ, ad bonum & malum trahi faciles, uti scalæ ascensum & descensum juvant: ita pecuniæ ad cælum ducunt & ad inferos, sed plures multò ad inferos. Si pietati & pauperibus opes ser-

(a) *Scudi vocant Itali.*

(b) *Salianus tomo 3 Annal Vet. testam. mihi pag. 355.*

(c) *Sap. cap. 7. vers. 1.*

serviant,iter ad beatos tenent: si vanitati & vitiis, viam monstrant planissimam ad diabolorum socios. Perinde ut stramen ad extruendam domum facit & ad incendendum:sic & opes si mentem nanciscantur bonam,adjuvant; sin aliam,sunt idem quod in manu insani gladius, qui sibi & aliis nocet. Numi in manu hominis non pii ad pompam, ad vanitates, ad epulas, ad voluptates, ad luxum & convivia, ad vestitum & superflua.Numi lautissimum vitiis omnigenis pabulum. Quàm rari sunt qui divitias expendunt in stipem & eleemosynas,in Xenodochia & valetudinaria, in tenuium puellarum connubia, in viduarum & pupillorum curas ,in pauperum vigilias & scholas, in domos sacras.Vbi sunt hi cygni qui argenteum hoc melos canant, & recreent illo cantico egenos? Licet bene uti opibus, ni mali simus. Ad aquas Ægyptias id discemus quæ in sanguinem versæ, sed Ægyptiis,non Hebræis. In manu Ægyptiorum sanguis, inquit Iosephus, in manu Hebræorum mundissima erat aqua: Sic opes in manu cordis non sinceri fædus vitiorum sanguis,in manu probi hominis grande adminiculum liberalitatis. In manu Euangelici Epulonis gula, vestium luxus, familiæ pompa, illaudabilis voluptas,in egenos crudelitas:In manu Iobi alia omnia. Iob dives oculus fuit cæco, pes claudo, pater erat pauperum. En discrimen ingens, in pecuniæ tam dissimili usu.

Refert Stobæus Epicurum Philosophum interrogatum, quâ demum ratione ditescere possit æris cupidus? Sapienter prorsus &

pro saniſſimo philoſopho reſpondit: Non augendo opes, ſed minuendo cupiditates. Ratio expeditiſſima ſimul & honeſtiſſima. Nam quemadmodum, nec ſatis paſtus, nec ſatur dici poteſt, qui etiámnum eſurit, ac ſi nihil comediſſet: ita nec dicendus dives, qui poſtquam plurima glutiverit, aſſiduè tamen eſurit & ſitit. Satur eſt, quem nec fames nec ſitis ampliùs laceſſit, etſi parum comederit; ita dives, qui quamvis exiguum numeret cenſum, animum tamen gerit quietum & nullius rei cupidum.

Videte ut homines ſapientes irrideant eos qui ſolùm exteriora curant. Et quomodo tu eris excuſabilis, qui pulchram habes domum, pulchram ſupellectilem, pulchram uxorem, pulchram filiam, pulchras picturas, veſtes pulcherrimas, ſed & pulchra verba, dicta ſubinde pulcherrima: Tua ſolùm eleemoſyna non eſt pulchra, nimiùm contracta, deformis, macilenta, rugoſa eſt. Ecce Deus te conſpuet in domo tuâ pulchrâ, cum dictis & veſtibus tuis pulchris, cum pulchris rebus tuis omnibus projiciet te Deus. Quid enim nitidam curat pelliculam ſi turpis ſit anima? quid refert ſi veſtes ſplendeant, ſi avara ſit manus? Ah quanti reperiuntur qui quinquaginta, qui centum millia florenorum in arcâ numerant, nihilo minus eleemoſynas exiguas & puſillas lentâ & tenaci manu proferunt. O pecuniarum uſum turpiſſimum, illas perinde ut animam cuſtodire!

Quî ergo divitiis optimè utemur? *Non amando, & erogando.* Qui agrum fertilem cupit,

pit,ſemen non retinet,ſed abjicit. Obſecro vos, Chriſtiani, pecunias non ita tenerè amate. Abjectæ in egenos creſcunt. Pecuniarum nihil hinc auferetis. Ad tribunal Chriſti non multa pecunia, ſed pura conſcientia vos defendet. Animus à nummis abductus triumphabit. Væ homini divitiis merſo & ſuffocato: Ergo divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. (a) Divitiæ ſi non affluant, nolite cor affligere. Longè tutius eſt nummis carere, quàm eos ſine ratione poſſidere. Divitias fluxas *non amando*, & *erogando* colligimus æternas. Erogator non eſt,qui incubat nummis,uti gallina pullis,aut fœno canis in præſepi. Erogator non eſt,qui diſſipat in omnem luxum,in veſtes & convivia, in voluptates & ludicra, in canes & equos, in adulatores,moriones,& mimos. Erogare, eſt cum ratione expendere. Non amandæ ſed erogandæ ſunt divitiæ,ut fiant ſcalæ non in Tartarum, ſed ad ſuperos.

(a) *Pſal.* 61. *verſ.* 11.

CAPVT VI.

Salomon ditiſſimus.

CEnſebat Archilochus, Æliano teſte, facilius eſſe echinum capere quàm tenere:ita expeditius divitias parare, quàm augere, ac conſervare paratas. Tam David parens, quàm Salomon filius theſauros paraverunt ingentes, ſed modis, planè diverſis. David opes acquiſiit non hæreditate à parentibus acceptas: ruſtici filius erat:

at verò Salomon hæreditariis ditatus eſt bonis. David gladio, manu, bello, tótque præliis prædas ſibi aureas comparavit, plus tamen Salomon pace congregavit auri. David hoſtibus vel invitis ſpolia opima eripuit, Salomon ab amicis ultro dantibus accepit, ſibique inſuper gratulantibus ſua munera non ſperni. David vicinis regnis omnibus terrori erat, vectigalia & tributa metus exigebat; cogebantur ſervire: Salomonem Orbis amavit univerſus, fama Salomonis & gloria omnes undique populos excitavit, ut pretioſiſſima quæque congererent munera, modò ſcirent tanto principi placitura.

Videte artificem Deum: quantos ille theſauros parere non diverſis tantùm modis ſed etiam contrariis poſſit; David ſago, togâ Salomon pecunias collegerunt immenſas. David opulentiam, aculeatum hunc erinaceum cepit, Salomon tenuit, educavit, pinguefecit. Qua quidem re plus filius parente præſtitit. Vnde non ſolùm *Salomon Dives*, ut priori capite docuimus, ſed etiam *Salomon Opulentus* potuit appellari. Nam, uti divinus ſcriptor loquitur: Argentum in diebus illis pro nihilo reputabatur. (a) Hæc igitur diſſertatio *Salomonem opulentum* ſub oculis ponet.

(a) 2 *Par. cap. 9. verſ.* 20.

§. I.

Pecunia ſuópte genio amat tenebras: nam prima illius natalitia domus, cavernæ ac ſpecus ſunt profundáque montium: in his tene-

tenebricosis cunabulis nascitur & educatur. Inde quidem in lucem vi extrahitur, ea nihilominus lucis impatiens & amantissima tenebrarum, mox iterum in cistas, obscuros fornices, & arcas ferreas subrepit, nonnunquam etiam in matris suæ gremium redit. Quot thesauri sunt defossi, quorum aliqui in lucem denuo emerserunt, alii hodiéque profundâ nocte sepulti latent? Atque adeò pecunia tenebrarum cupidissima, hoc pravo suo ingenio satis docet, quàm indolis sit malignæ.

Georgius Venetus in suis problematibus putat Salomonem eò deductum pecuniæ, honoris, vitæque illaudato amore, ut adjutorem adsciverit Almodæi diabolorum primatem, thesaurorum, luxûs, ambitionis præsidem. Hic ipse, ut opinio est, Christi sanctimoniam exploraturus, à luxu sumpsit exordium, tot panes voluit creari, quot lapides humi jacerent. Dein ambitione Humilitatis magistrum, ut è templi pinnaculo se demitteret, suasit. Demum omnia regna Mundi loquente manu demonstrans opes illices proposuit. Atque hic tentator asservare dicitur Antichristo abditos thesauros ad homines tantò promptiùs seducendos.

Hîc forsan quæstio sit: cùm olim tanti extiterint thesauri, & alii atque alii accesserint, quò demum ea vis pecuniæ defertur? Partem minimam mari haustam credendum. Sed caussæ complures, cur his annis major quàm olim pecuniæ sit sterilitas. Caussarum una est, Antichristo eam ab

Asmodæo asservari. Delrius hoc affirmat. (a) idque diabolum ex homine infesso, cui nomen Laurentius Ananias, respondisse. Quamvis cacodæmoni, ut mendaci figulo minimè credendum: res tamen à vero parum abhorret. Iustus Lipsius publicis scriptis, admiratur & tacitè quærit, quò Deus tot sparsim Iudæos servet?

Ita sunt qui opinantur Salomonem non diaboli, sed Dei favoribus adjutum, thesauros eruisse in usus publicos. Certè Tiberius Imperator ob admirabilem in egenos liberalitatem, in suómet palatio copiosum aurum jam olim, sepultum eruit, Deo monstrante abditum ærarium. (b) Hoc autem Salomon divinâ illâ sapientiâ velut odorari potuit, quo loco delitesceret speciosissimum auri cadaver. Hanc certè artem Apollonius Thyanæus est professus, opes humi defossas eruere. Deinde cùm Salomon nobilioris metalli vim maximam in eâdem cum patre sepulturâ contumularit, pronum est conjectu, eandem certis usibus iterum exhumatam.

Verùm ad hæc omnia respondemus, hunc auri fontem à Salomone non tentatum: nec enim decuisset à tanto principe thesauros indagari & egeri, multò minus sepulchrum patris violari. Istud sceleratis sit negotium. Monstrum hominis Nero maximas opes à Didone reginâ, uti arbitrabatur, defossas quæsiit, sed frustra. Eò illud Taciti spe-

(a) *Delr. l. 2. Disquisit. Magic. q. 12.*

(b) *Paulus Diac. hist. Longobard. lib. 3. cap. 5. Gregor. Turonens. lib. 5. hist. Francor.*

ſpectat: Illuſit Neroni fortuna propter vanitatem ipſius. (*a*) Ita Darius Semiramidis ſepulchrum perfodiens, pecuniam ſub terrâ venatus, nihil niſi veterem hanc epigraphen invenit: Niſi pecuniæ inexplebilis & turpis lucri cupidus eſſes, defunctorum urnas non aperuiſſes. (*b*) Igitur ex hoc fonte Salomon divitias non hauſit. Sex auri fontes jam ſuprà nominavimus Vectigalia, Tributa, Dona, Spolia, Capitationem, Hæreditatem. Septimus iſque fecundiſſimus erat annua Navigatio in Tharſis & Ophir. Subjectos ſibi populos rex Salomon exactionibus non exhauſit, non oppreſſit, non vi blandâ ſpoliavit. Omnes ſub illo Hebræi fuerant opulenti, quiſque ſub ſuâ ficu & vite, ſuáque ſorte vivebat contentiſſimus. Sed nec exteris gentibus & alienigenis erat gravis. Faciles dabant omnes, & pæne ultro ſua offerebant.

Sed navigationibus jam ſuprà explicatis iſtud addimus quod Regum faſti aſſerunt. Qui cùm veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum vigenti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem. (*c*) Sunt quinque milliones auri, inſuper ſexcenta viginti quinque millia numorum aureorum. (*d*) Sex pæne milliones. In Regum Chronico ad verbum hæc exprimuntur numero grandiore. Erat autem pondus auri quod offerebatur Salomoni per annos ſingulos

(a) *Tacit. lib.* 26. *Annal.*
(b) *Herodot. lib.* 1. *fusè.*
(c) 3 *Reg. cap.* 9. *verſ.* 28. *fine.*
(d) *Ita Salianus computat.*

gulos sexcentorum sexaginta talentorum auri. Ipsi, ut Salianus vult, octo milliones, insuper trecenta viginti quinque millia numorum aureorum.(*a*)Villalpandus variantia testimonia componens. Cùm intra trium annorum spatium, inquit, tres classes solverint auro advehendo, singulæ tertio quoque anno redierunt. Et prima quidem quadringenta viginti talenta auri. Aliquantulùm plus altera,nempe quadringenta quinquaginta. Tertia verò sexcenta sexaginta talenta auri: cùm fossores scilicet exercitatiores, & fodinæ largiùs responderent: Hic septimus & longè opulentissimus fons auri fuit,Navigatio quæ merces viliores evehens reportavit purum putum aurum. Atque hinc *Salomon opulentus*. Ita crevit erinaceus, ita pinguefactus est. Insigniter autem & subditi, hac sui regis opulentiâ fruebantur. Quisquis laborem non habuit exosum, largam & præsentem reperit monetam. Pauperies ignotum tunc Animal. Testantur Regum fasti: Habitabátque Iuda & Israël absque timore ullo, unusquisque sub vite suâ, & sub ficu suâ.(*b*) Ophirejum & Tharsicum aurum domos omnium inaurabat. Omnium suorum civium benevolentiam Salomon sibi devinciebat. Quamvis ad finem Salomonei imperii,ut dicemus, in immensum crescente luxu, ærario paullatim suspirante ad fundum, sumptu regio deficiente, miserè omnia claudicare cœperunt. Et qua de causâ? Dicam liberè: Incredibiliter

(a) 2 *Paral. cap.* 9. *vers.* 13.
(b) 3 *Reg. cap.* 4. *vers.* 24.

liter excæcant divitiæ, mores corrumpunt, mentem auferunt. Iobo id credemus affirmanti: Dives cùm dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inveniet.(a) Aperiet oculos, inquit, post mortem scilicet, quos in vitâ habuerat clausos. Ohe serum nimis est tunc primùm velle videre, cùm non ampliùs licet vivere. Cæcitas viventis, præcipitium morientis: in vitâ excæcatus, in morte damnatus. Talis Epulo dives, qui elevans oculos in tormentis vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu ejus.(b) Videte rem mirissimam: Lazarus jacebat ante oculos Epulonis, & tamen illum non videbat planè cæcus: nunc verò eundem eminus ad aliquot milliarium distantiam videt. Nonnunquam cùm latrunculis luditur, lusorum alter adeò incalescit, ut propitiam sui lusûs fortunam non cernat, & lusum perdat. Qui adstat errorem facilè advertens. Ego, inquit, hunc calculum loco non movissem, hos potiùs extrusissem latrones: ita & Epulo, calidus sed malus lusor, ubi lusum finiit, suos errores primùm vidit, non viderat dum luserat, à divitiis excæcatus. Tandem cùm sibi ipsi consulere non potuerit, suis saltem fratribus persuaderi voluit, ut opes cautiùs tractarent, illum tormentorum locum caverent, stipem largiùs erogarent, ideo in flammis clamavit: Mitte Lazarum monitorem. Quid opus, mi Epulo, mortuum ad tuos legatum mittere? monitorum satis habent vivorum, illos audiant, ocu-

(a) *Iob. cap. 27. vers. 19.*
(b) *Lucæ cap. 16. vers. 23.*

oculos aperiant, errores corrigant, lusum quem lusisti, ludere desinant, divitias excæcantes dividant, stipem spargant. Hæc illi assiduè monentur; modò monitoribus asperi non sint, non erit difficile hos flammeos specus cavere.

Divitiæ profectò excæcant, & animum ducunt captivum. Septem Machabæi principes fratres, ab Antiocho excarnificati variè mori maluerunt quàm paternas leges vel minimùm violare. Et sex quidem priores & tormenta & mortem generosissimè dicuntur obiisse. At septimo singulare illud encomium tribuitur: Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. (a) Cur oro spiritus sanctus non aliis etiam sex primis hoc dedit testimonii? Quia tyrannus Antiochus sex prioribus nullas opes obtulit, sed ultimo natúque minimo, cui cum juramento affirmabat se divitem & beatum facturum. (b) Nihilominus perseverabat adolescens, & mortem animosissimè obibat. Hoc reverâ tanti erat, ut singulari fuerit encomio afficiendum. *Et hic mundus obiit*. Perinde si dicat: Mirum quidem ceteros inter cruciatus acerbissimos tam perstitisse constantes, sed longè mirius postremum, oblatis opibus tam generosè spretis; mortem tam fortiter obiisse. Tam difficile quàm admirabile opus est opes contemnere.

Quàm autem divitiæ incredibiliter excæcent, in Iudâ Iscariote Domini Iesu proditore, clarè nimis conspicitur. Infelix hic mer-

(a) 2 *Machab. cap.* 7. *vers.* 40.
(b) *Ibid.*

mercator inter Apostolos solus pecuniam tractavit, solus periit: Mundum vicit, carnem vicit & diabolum, vicit omnia; secutus est Christum, sed victus est à pecuniâ. Quid autem Christus intentatum reliquit ut miserum à destinato flagitio averteret? Ante scelestum in genua procubuit, pedes illi lavit, tersit, osculatus est, in mensâ eum sibi proximum esse voluit, (a) bucellam humanissimè dedit, suum corpus & sanguinem amantissimè in cibum porrexit, proditionem sibi cognitam, salvâ nominis famâ, ostendit: Vnus vestrûm me traditurus est; veruntamen væ homini illi. Nihil Dominus promovit, nec scelus homini nequam eripuit, nec persuasit quidquam. Nec enim erubuit improbissimus, nihil timuit, cœpta perfecit. Auri sacra fames quid non mortalia pectora cogis? Verissimum à Christo est oraculum: Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. Mox addens Christus: Filioli, ait, quàm difficile est confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire! (b) O Christe quàm etiam est difficile divitibus concionari! tanquam lapides non moventur, pleraque omnia surdis auribus transmittunt, nihil persuadentur. Sunt veluti vasa jam antè plena, quibus si aliquid infuderis, effundes: divites jam pleni cogitationibus, consiliis, phantasiis, negotiis ad conciones veniunt, nec ferè aliter quàm ut æthiopes, quos lavare negotium sanè operosum

( ) *Ioan. VValterius de triplici Domini cenâ hoc probat.*

(b) *Marci cap. 10. vers. 23.*

rosum est. Quod si ex ingenti auditorum numero interrogarentur singuli. Quis dives & pecuniæ amans? nemo se reum fatetur, nemo. O quàm igitur difficile est curare morbum quem omnes sanitatis partem esse censeant!

O Christiani, minùs amanda est pecunia quàm anima; imò spargenda est egenis pecunia, ut inferis subduci possit anima. Monet Siracides & urget: Fili, si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. Memor estò, quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum. Ante mortem benefac amico tuo, & secundùm vires tuas exporrigens da pauperi. Da & accipe, & justifica animam tuam. (*a*) Da per stipem aliis; tibi accipe, utendo moderatè, & justifica tuam animam, non amando pecuniam, ut obeas mundus per omnia. Notum illud: Qui parcè seminat, parcè & metet. (*b*) Eleemosyna semen est; non magnos spera fructus si semen sit exiguum. Quapropter Siracides identidem ad dandum extimulans: Da, inquit, altissimo secundùm datum ejus & in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum. (*c*) Quod egeno datur, hoc datur Altissimo. Da igitur secundùm quod dedit tibi: Da in bono ac liberali oculo. Oculus amarus, oculus nequam. Quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi. (*d*) Aude obolo mercari regnū.

(a) *Eccli. cap.* 14. *vers.* 11. *& seqq.*
(b) 2 *Cor. c.* 9. *vers.* 6.
(c) *Eccli. cap.* 35. *vers.* 12.
(d) *Ibid.*

C A-

CAPVT VII.

Salomon Liberalis.

SAlomonem non ſolum divitem, ſed opulentum ſeu ditiſſimum fuiſſe aſſeruimus. Quæſtio tamen ſit, num piè ac ſanctè egerit tantos acervando theſauros, num ſuo id jure fecerit, cum Siracides teſtetur: Collegiſti quaſi auricbalcum aurum. (*a*) Sed eadem oracula ſacra jure id factum aſſerunt. Deus illi promiſerat: Divitias, & ſubſtantiam, & gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus, nec ante te, nec poſt te fuerit ſimilis tui. (*b*) Et quemadmodum nunc novâ Chriſti lege contemptus opum, futuræ beatitudinis ſignum eſt luculentum, ſic priſco ævo illo florere opibus, felicitatis magnę fuit indicium. Quòd ſi Salomon tam opulentus non fuiſſet, pacem tam ſtabilem ac diuturnam non obtinuiſſet, quivis regum ſuas in ipſo vires exploraturus arma moviſſet. Aut certè complurium Regum Societas in illius unius caput conjuraſſet. Vox illorum fuiſſet: Pauperculus ille rex Hebræorum nervum belli non habet: Venite opprimamus illum conjunctis armis. Idcirco Ariſtoteles Ethices præceptor: Pecunia, inquit, eſt quaſi neceſſitatis fidejuſſor. (*c*) Rex opulentus hoſti terrificus.

Ioſaphat & Ezechias regum optimi, ſed unà etiam ditiſſimi. De Ioſaphato Regum

(a) *Eccl.47.v.20.* (b) *2 Par.c.1,v.12.*
(c) *Ariſt. l. 5. ethic.*

Chronicon teſtatur: Factæque ſunt ei infinitæ divitiæ, & multa gloria.(a) Ezechiam verò ſacer hiſtoricus ita commendat: Fuit autem Ezechias dives, & inclytus valde, & theſauros ſibi plurimos congregavit argenti & auri, & lapidis pretioſi; aromatum & armorum univerſi generis, & vaſorum magni pretii. Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præſepia omnium jumentorum, caulaſque pecorum, & urbes ſex ædificavit ſibi. Habebat quippe greges ovium & armentorum innumerabiles, eò quòd dediſſet ei Dominus ſubſtantiam multam nimis.(b) Sicut igitur hi ſancti reges optimâ mente, ſine aliorum injuriâ ærarium ſuum locupletarunt, ita & Salomon fecit initio. Progreſſu temporis pecuniam non minus collegit quàm expendit, ut dicemus.

Proculus narrare ſolitus ſe crebrò è ruſticis jam incanis audiiſſe, Pecuniam ſine peculio fragilem eſſe. Peculium appellabant illud quod præſidii cauſsâ ſeponeretur, quod neceſſitas in uſus certos protraheret. Rex David ſollerter id obſervans: De peculio meo, inquit, aurum & argentum do in templum Dei mei, exceptis quæ præparavi in ædem ſanctam.(c) Salomon & pecuniam, & peculium, & theſauros habuit immenſos.

Ergo Salomon Dives & Opulentus, imo etiam, quòd divitiis & Opulentiæ princeps elogium, & Liberalis fuit. Modicæ fuiſſet laudis,

(a) 2 *Paral. c.* 17. *v.* 5.
(b) *Ibid. c.* 32. *v.* 27. *& ſeqq.*
(c) 1 *Paral. c.* 29. *v.* 30.

laudis, Salomon dives; sed erat maximæ, Salomon Liberalis. Ingloriæ sunt opes & deformes, nisi eis formam conciliet Liberalitas. Quod hoc capite ante oculos statuemus.

§. I.

Dictitabat Bion: Longe melius censeri, de suâ messe alteri dare, quàm messem alterius vellicare. Salomon hoc fecit, si ullus regum: Messem auream collegit, sed eam non soli sibi servavit; quam omnibus præsertim suis civibus fruendam liberalissime concessit. Liberalitatis complura sunt argumenta. Primum, Ædificatio templi. Nullis retro sæculis, sed nec secuturis, regum ullus structuram talem moliri ausus est, qualem Salomon, & quidem in unius Dei honorem. Ea certe fabrica tantum argenti & auri hausit, ut quæri potuerit, quid sibi rex servabit? Alexander Macedo, quod Plutarchus narrat, antequàm mari se committeret, amicis munera divisit liberalissime; huic agrum, illi castrum, isti villam, vectigal alteri, aliquibus aurum & monetam, quibusdam census annuos, idque tam multis, ut Parmenio quæreret: Quid regi superest? Cui Rex blande: Spes, ait, acquirendi majora. Ita Salomon cùm strueret templum, dixerit: Hæc omnia Deo & divino cultui do; mihi superest spes acquirendi plura.

Alterum liberalitatis argumentum erat amplificatio urbis. Complura ædificia è fundamentis excitata Reipublicæ cumprimis utilia.

Tertium, Vrbes ruinosas restauravit industria singulari, regiis sumptibus; quasdam etiam novas erexit: ita sibi aliisque plurimum commodavit.

Quartum, eam pecuniæ vilitatem induxit Hierosolymis, ut Regum fasti pro testimonio dicant his verbis: Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum. (*a*) Quod iisdem pæne verbis Regum Chronicon confirmat: Tantamque copiam præbuit argenti in Ierusalem quasi lapidum. (*b*) Præbuit aliis, non sibi tantum servavit. Sed idem tertium confirmatur: Præbuitque rex argentum & aurum in Ierusalem quasi lapides, & cedros quasi Sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multitudine magnâ. (*c*) Aperuit Salomon æraria, eaque in suos cives potissimum deplevit, deditque caussam regias opes lucrifaciendi. Hinc omnes suâ sorte contentissimi, regis sui fortunas ut suas amabant, numati omnes & divites effecti ex aureâ Salomonis messe. Ptolomæus Lagi filius magnâ voluptate suos ditavit, sed ob id velut plus æquo liberalis monitus, dixit; Regalius est ditare quàm ditescere. (*d*) Ita Salomoni regium factum est visum, non sua solùm æraria, sed etiam aliena opulentare. Deus namque Salomoni dedit latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris. (*e*) Hinc regia pecunia magnificentissimè expensa,

(a) 3 *Reg. c.* 10. *v.* 27.
(b) 2 *Paral. c.* 9. *v.* 27.
(c) *Ibid c.* 1. *v.* 14. (d) *Ælian.*
(e) 3 *Reg. c.* 4. *v.* 29.

penſa. Petrus Comeſtor aſſerit Salomonis ævo Hieroſolymis pro domorum foribus plurima argentea ſedilia, qualia nos è ligno aut ſaxo habemus, equos aſcenſuris commoda. Ioſephus in hanc rem locuples teſtis, eam pecuniæ vim in ſanctâ civitate aſſerit fuiſſe, ut nullum eſſet pretium argento. Quòd ſi cives ſuos Salomon primis annis exhauſiſſet, non dixiſſet Siracides: Ad inſulas longè divulgatum eſt nomen tuum, & dilectus es in pace tuâ.(*a*) Liberalis fuit Salomon, liberaliſſimus, ideo plurimum ab omnibus amatus.

Quemadmodum verò Paulus avaritiæ mentionem injiciens: Radix, inquit, omnium malorum eſt cupiditas, ita dici radix omnium bonorum poteſt liberalitas: ſi numorum avidi poſſent perſuaderi, quàm non laudabile ſolum ſit, ſed & utile liberalem eſſe, non ita ſuis ſe nummis, uti bombyces ſuo ſe textu, involverent.

I. Liberalitas in erogandis pecuniis rationi convenientiſſima. Ad quid obſecro pecunia,& quis legitimus illius uſus? Numquid ut omnes ciſtæ, ſacculi, arcæ, & quidquid loculorum domi eſt, nummis infarciantur, & centum ſeris obſerentur? Siracides clamat: Sapientia abſcondita,& theſaurus inviſus,quæ utilitas in utriſq;?(*b*) Quàm non credunt gryphes iſti,inſidiatores auri? Quid ſentias de viro iſto,qui centum millia philippeorum anxiè cuſtodit,licet improlis ſit, aut prolem habeat, cui multa pecu-

(a) *Eccli. c. 47. v. 17.*
(b) *Eccli. c. 41. v. 17.*

nia multa noxa est, aut meros captatores numeret ac hæredipetas, quorum fletus sub personâ risus est? (a) nihilominus vir iste pecuniosus nil templis, nil Xenodochiis, nil viduis aut pupillis, nil pauperibus ægris & scholasticis, nil aliis egenis donat, pecuniæ nihil elocat, nisi cum certo & grandi lucro, si quem boni nuntii bajulum dimidio sestertiolo (b) remuneretur, rem maximam præstat. Dii Deæque omnes hunc sordidissimum Euclionem in malam maximam eliminent crucem: Dii talem terris avertite pestem. Num prodigia ista Christiani nominis & sanguinis censenda? Et tamen audent hæc monstra nescio quam sanctimoniæ larvam suæ tenacitati oppandere. Verùm æquissimus Deus nonnunquam hos larvatos lucriones præbet noscendos, quorum frumentum evolare, aut defossas ollas alio emigrare jubet. Liberalis Salomon monens: Ne erigas, inquit, oculos tuos ad opes quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ & volabunt in cælum. (c) Nec tu frueris, nec tui. Rectissimè.

II. Liberalitas Deum divinamque bonitatem quàm maximè imitatur. Ingenii divini est, dona in omnes inviros effundere quam liberalissime. Canit psaltes regius: Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal

(a) Lauter lachende Erben.
(b) Ein Creutzerlin.
(c) *Prov. c. 23. v. 5.*

mal benedictione.(a) Omnibus abunde dare, indolis est divinæ. Interrogatus Demosthenes, quo homines Deum proximè accederent? Respondit: Benignè faciendo. Hoc reverà Deo similem reddit.

Christus artificium docturus, quo laudatissima liberalitas exercenda: Cùm facis prandium aut cenam, inquit, noli vocare amicos tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. (b) Benefacite, mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus super ingratos & malos. (c) Cum autem datur, hilariter dandum est, & neutiquam verbis malignis & ægrè exeuntibus: Hilarem datorem diligit Deus.(d) Diu deliberare aut acerbo vultu dare, nolentis est, & omnem corrumpit gratiam. Eam ob caussam præcipit Siracides: In omni dato hilarem fac vultum tuum. (e) Deus dat omnibus affluenter & nemini improperat. (f) Divinum quid est benefacere ac dare, non ut dat institor, caupo, mercator, fenerator, sed amore liberalitatis. Hanc laudem ambierunt olim principes, quorum mentionem Christus injiciens: Reges gentium,

 inquit,

(a) *Psal.* 144. *v.* 15.
(b) *Luc. c.* 14. *v.* 12. *& seqq.*
(c) *Luc. c.* 6. *v.* 35. (d) 2 *Cor. c.* 9. *v.* 7.
(e) *Eccli. c.* 35. *v.* 11. (f) *Iac. c.* 1. *v.* 5.

inquit; dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. (a) Quo liberaliores eo beneficentiores. Hanc sibi gratiam à Deo postulans rex David: Spiritu principali, ait, confirma. Chaldæus interpres scribit: Spiritu munificentiæ.

III. Liberalitas non honesta solum sed utilissima. Princeps Salomonis cura fuit, quæ & aliorum regum sit, ita sibi stabilire regnum, ut illud tam ab inquilino & civili, quàm ab extero hoste sit tutum. Tutabitur certe Liberalitas. Salomoni hoc credendum affirmanti: Misericordia & Veritas custodiunt regem. Interpretatio Vatabli: Fides servat regem, Beneficentiâ suffulcitur solium ejus. Quem enim cives ac subditi sic amant, ut illi solum prosperam valetudinem, & vitam quàm longissimam voveant, è suffulto imperabit solio. Quod alomon præclarissimè confirmans: Victoriam, inquit, & honorem acquiret qui dat munera; animam autem aufert accipientium. Quî tandem aufert animam? Liberaliter dando. Nam qui accipiunt, ita se putant adstrictos danti, ut parati ad omnia, suam illi velut animam vendant. Sic Absalon omnibus blandiens: Furabatur corda filiorum Israël. Ita liberales furantur animas eorum quibus benefaciunt; dando accipiunt. Ita liberalissimus Salomon dilectus in pace suâ, spiritu hoc principali omnium sibi animos devinciebat.

Objicias, sum ipse pauper; liberalitas à me

(a) *Luc. c. 22. v. 25.*

me non expectanda. Respondemus neminem esse tam pauperem qui non & avarus esse possit & liberalis. Hæc non modio metienda, sed animo. Mendicus etiam potest in mendicum esse liberalis. Qui panem habet, dividat cum eo qui non habet. Si panis desit, aliquid melioris affectus impertiatur.

Objicias iterum: Si mendicus eodem die bis redeat, aut in datis non acquiescat? Cogitandum, esse mendicum & audacem aliquantulùm aut etiam impudentem. Sed vera Liberalitas ejuscemodi remoris non patitur se præpediri; non venustate morum, sed egenorum necessitate movetur.

IV. Liberalitas non solùm utilissima sed tam præsentem opulentat vitam quàm futuram. Zeno Imperator ceteroqui pietatis exiguę, sed liberalitatis magnæ per eleemosynas & stipem servatus est. Eclicius Senator Burgundus, grassante per illas terras fame, quatuor millia pauperum voluntariis expensis aluit, & vocem cælestem audiit, quæ facti præmium promisit. (a) Ioannes Constantinopolitanus Patriarcha quotidie septem millia quingentos enutriit, quorum omnium nomina velùt filiorum in chartâ perscripta habuit, ne vel amor vel memoria hac in parte laberetur. Petrus Vellius Lusitanus mercator, ob maximam in egenos liberalitatem, sui funeris diem singulari favore Numinis præscivit. (b) Pachomius necdum Christianis sacris imbutus, Christiano-

(a) *Sigibertus An.* 481.
(b) *Hist. Societatis IESV l.* 12. *n.*100.

rum liberalitate motus quæsiit, quod esset genus hominum, qui in pauperes ac peregrinos etiam ignotos tam largi existerent? Mox in eorum partes transiit;ita liberalitatem alienam suæ salutis principium habuit. Gregorius XIII. Pontifex Romanus, germani pectoris princeps, & vere Germanorum pater, adeò liberalem in pauperes se gessit,ut illi senatus à morte statuam in Capitolio locarit, quæ hodiéque loquitur & optimi pastoris largitatem prædicat. Nam marmori incisum: *Sestertium octingenties singulari beneficentia in egenos distributum.* (*a*) Sunt vicies centena millia aureorum, ipsi duo milliones; non computatis stabilibus bonis,quę vel hominibus vel domibus,Collegiis,templis assignavit. (*b*)Cosmus Medices,quem Ludovicus Guicciardinus sapientem nobilem appellat, Xenodochiis, templis, cœnobiis supra quadringenta millia ducatorum impendit, nec tamē minutiores eleemosynæ in hanc summam trahuntur. Cùm omnes optimi senis liberalitatem mirarentur,amicis sæpius dixit:Nunquam Dei causâ tam multa in pauperes expendi,quin debitorum plura confessi nominis in perscriptionibus meis rēpererim.Liberalitas & præsentem vitam opulentat & futuram.(*c*)

V. Liberalitas mediam tenet viam inter prodigalitatem & avaritiam. Neque verò nos prodigum esse docemus sed liberalem. Non censendus est sapiens liberalis princeps,

(a) 2000000 Cronen.
(b) *Baron. tomo 2. An. 175. n. 20.*
(c) *Vide plura in meo Gazophilacio.*

ceps, qui potius effundit quàm donat, qui suum famulitium ditat egenus ipse. Medium tenuere beati. Turpe, adstrictum nimis esse ac deparcum, inutile & noxium profundere; largum laudamus, non prodigum, erogandæ sunt pecuniæ non dilapidandæ. Hoc primi artificii est medium incedere, & extrema utrimque cavere. Quod Artaxerxes insigniter callens, rex optimus non quidem Iudæus, sed amans Iudæorum & liberalissimus, sed inter metas: Ego Artaxerxes, inquit, statui atque decrevi omnibus custodibus arcæ, qui sunt trans flumen, ut quodcunque petierit à vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cæli, absque morâ detis, usque ad argenti talenta centum, & usque ad vini batos centum, & usque ad batos olei centum, sal verò absque mensurâ. Omne quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli, ne forte irascatur contra regnum regis & filiorum ejus. (*a*)

En quam dextre ac prudenter Rex Persa medius iverit tutissimus. Liberalis in Iudæos extitit, sed cum ratione, & certos intra fines. Donavit, non dissipavit; verè largus, nequaquam prodigus; non dissimilis nubi quæ attrahit ut remittat, in terræ sibi subjectæ bonum. Nubes sint principes, & reges, quæ vapores colligant attrahantque, eos autem non retineant sed salubriter refundant. Ita Salomon nubes fuit, quæ aurum è Tharsis & Ophir attractum in populos subjectos depluit. Præ-

(a) 1 *Esdræ c. 7. v. 21. & seqq.*

Præbuit enim rex argentum & aurum quasi lapides.

Hunc mutuum nobis amorem Paulus commendans: Quoniam, inquit, sumus invicem membra. (a) Cibus ac potus & quidquid per os ingeritur, in stomachum descendit; hic membrorum omnium culina est: stomachus quamdiu vegetus & officium facit, accepta non sibi servat, sed omnibus membris dividit. Infidus est, & ingesta retinet? sibi membrisque ceteris nocet, proximus exitio. Ita Deus, ô Christiani, divitiis nos reficit, non ut eas abscondamus & nobis solis retineamus, sed ut in membra egentia distribuamus. Stomachi est digerere sibi commissa, & dividere. Stomachi vicem fungimini, ô divites: dividere non vultis? & aliis, & vobis ipsis plurimùm nocebitis, quoniam sumus invicem membra. Stomachus malus & multâ intemperie dissutus rugas omnes & plicas amittit, (ut in anatomiis est cernere) simillimus detrito, eraso, pertuso sacculo, vicinam opperiens mortem. Videte, Christiani divites, ne stomacho tali sitis similes, è quo avida membra nihil impetrent. Estote liberales, quantumcunque poteritis: Si multum vobis fuerit, abundanter tribuite; si exiguum, etiam exiguum libenter impertiri studete. (b) Nunquam tam multa erogabitis, quod de se Cosmus Medices dixit, quin plura facultatum meliorum recepturi sitis. Deus se debitorem profitetur. Erogando acquirimus.

(a) *Ephes. c. 4. v. 25.*
(b) *Tob. c. 4.*

CAPVT VIII.

Salomon Hoſpitalis.

INterrogatus Socrates: Quorumnam hoſpitium cenſeret maximo ambiendum? Illorum, dixit, qui bene ſapiunt. Salomonem fuiſſe liberaliſſimum aſſeruimus, præſertim in aulicum famulitium & Solymæos cives. Sed plus ultra Salomonis ſeſe liberalitas extendit, quæ etiam ignotos & exteros complexa eſt. Hinc *Salomon Hoſpitalis.* Hoſpes illi venerat, & quidem dignitatis ſummæ, hoſpes opulentiſſimus, qui Socratis conſilio peritiſſime uſus, Hoſpitium quæſivit apud hominem inter homines ſapientiſſimum.

Regina Saba maria & terras permenſa venit Hieroſolymam, ſapientiam Salomonis auditura, hoſpitio ſe digno excepta. Hîc ſeptem aliquantulum curioſiores quæſtiunculæ nobis pertractandæ. 1. Quæ fuerit hæc Regina hoſpes? 2. Quando venerit. 3. Quare venerit. 4. Vnde venerit. 5. Quid Hieroſolymis fecerit. 6. Quid Salomon donaverit. 7. Quam diu in civitate ſanctâ manſerit. Ad ſingulas ordine ſuccincto reſpondebimus.

§. I.

I. Quæſtiuncula, quæ fuerit hæc Regina? ſiquidem Saba, non proprium nomen ſed gentilitium fuit, périnde ſi hodieque dicatur Princeps Lotharingiæ, Princeps Tranſilvaniæ, Saxoniæ, Pomeraniæ. Priſci Patres per-

perquam honorificè de Reginâ hâc olim locuti. Theodoretus & Beda, feminam electam, sanctam, admirabilem, à Christo commendatam nominant. Revera Christus Matthæi & Lucæ ore: Regina Austri, ait, surget in judicio cum generatione istâ, & condemnabit eam; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. (a) Satis constat è divinis libris fuisse opulentissimam juxta & sapientissimam. Nomen Candace, reginis in Æthiopiâ commune fuit. Quod aliud illi fuerit, ignoramus.

II. Quando venerit hæc Regina? Cùm Salomon annum ætatis quadragesimum octavum, vicesimum octavum Regni ageret. Sed unde Salomon huic principi feminæ notus? Vix dubium quin è classe quæ annis singulis Arabiam circumiit navigando. Verum reginam tantæ sapientiæ ac potentiæ, solis rumoribus ad profectionem tam longam & periculosam permoveri credibile non est. Sed illud facilè admittimus, missos prius legatos Hierosolyma, qui pleni admirationis redeuntes, visa & audita non satis explicare poterant. Decrevit ergo domina tam potens in rem præsentem venire ipsa & audire. Vix esse poterat nobilius testimonium gloriæ Salomonis quàm iter istud & adventus heroidis tam magnificæ. Fassa est ipsamet omnem expectationem suam longissimè victam. Illa quidem regiâ procedens pompâ, ingressa est Hierusalem multo cum comitatu & divitiis; camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas

(a) *Matth. c. 12. v. 42. Luc. c. 11. v. 31.*

mas pretiosas, venit ad regem Salomonem:(*a*) sed omnia suis multò ampliora invenit. Hoc autem iter partim mari, partim terrâ confecit. Ita ingentem hominum nobilium turbam secum trahens, triumphi specie Solymæas arces accessit. Verosimillimum cum Iosepho credimus, hanc reginã humanitate magnificentissima exceptam.

III. Quare venit Hierosolyma? Servator apertissimè Matthæi calamo respondens: Venit è finibus terræ, inquit, audire sapientiam Salomonis. (*b*) Et ut fasti Regum loquuntur: In nomine Domini venit, tentare Salomonem in ænigmatibus. Illo reverà ævo studium sapientiæ inter reges Orientis summo fuit pretio. Idcirco Rex Hiram audito Salomonis consilio, lætatus est valde, & ait, Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum. (*c*) Quia ergo Regina Saba sapientissimum esse audiit Salomonem, properavit hunc regem diversis explorare quæstionibus; quales sunt de cælis, de sideribus, & plantis, de animalibus, moribus, scientiis, populorum ritibus, fidei mysteriis. Locuta est ei universa quæ habebat in corde suo. (*d*)

Videte mihi obsecro regem sapientissimum à feminâ velut scholasticum examinari. Optimè rex stetit in hoc examine. Nam quod fasti Regum testantur: Docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuit: non

(a) 3. *Reg. c.* 10. *v.* 1. *&* 2 *Paral. c.* 9.
(b) *Matth. cap.* 12. *v.* 42.
(c) 3. *Reg. c.* 5. *v.* 7. (d) 3 *Reg. c.* 10.

non fuit ſermo qui regem poſſet latere, & non reſponderet ei. Idem aſſerit Regum Chronicon his omnino verbis: Et expoſuit ei omnia Salomon quæ propoſuerat: nec quidquam fuit quod non perſpicuum ei fecerit. Quâ in re Salomon eximie hoſpitalem ſeſe præſtitit, patientiâ tam humanâ in hanc feminam & illius quæſtiones uſus.

Georgius Cedrenus quiddam apologo non abſimile commemorans: Æthiopum Regina, inquit, pueros formoſos puellaſque eodem veſtis genere nitentes coram Salomone ſtatuit indagatrix curioſa, rogavitque diceret, an omnes ejuſdem ſexûs, & qui non? Salomon audaci mulieris vafritie non offenſus, præcepit omnibus, mox in conſpectu faciem lavarent & tergerent. Pueri vultum terſerunt manibus validè appreſſis; virgunculæ manu timidâ & parcente. Obſtupuit ingenioſum regina reſponſum.

IV. Unde venit? Ex Arabiâ felice, ſi probabiliſſimis conjecturis credendum. Saba metropolis Arabiæ. Diodorus narrat ejus loci regem oraculo prohibitum è regia domo abire, alioqui lapidandum. Hinc ſane non certum eſt, nullum tunc temporis fuiſſe Sabæ conjugem, quamvis apud Sabæos etiam reginæ imperarint. Hæc felix Arabia, ſi Diodoro credimus, pecore abundat armentoſiſſima. Silvæ amœniſſimæ, thuris, palmarum, myrrhæ, balſami, cinnamomi fertiles. Dici non poteſt quanta è ſilvis, pratis, hortis afflet varii odoris fragrantia, quâ etiã qui procul à terrâ in navigiis ſunt, vere præſertim, mirificè recreantur. Siquidem

dem aura selectissimis mixta odoribus, ad maritima descendens, suavitate plurimâ navigantes afficit. Ambrosiam putant qui eâ fruuntur. Cùm autem hæc Arabia metallis nobilissimis argento & auro abundet, lecticas incolæ omnémque supellectilem ex argento habent: Multis sæculis felices: abfuit enim ab eis ambitio, aliena per avaritiam possidendi. E terris his venit Regina Saba, viâ difficili & longâ. Adrichomius Arabiam è quâ tres Reges ad Christum infantem properarunt sexcentis milliaribus Gallicis ab Ierusalem ait distare. (a) Ortelius in tabulis geographicis, ab ultimis Arabiæ felicis finibus duo millia milliarium Gallicorum numerat. Gravissimæ fuerint itineris tam prolixi caussæ.

V. Quid fecit Hierosolymis? Grande habuit negotium videndi, audiendi, interrogandi. Multum temporis absumit tot quæstiones de naturæ arcanis ponere. Et quantum moræ abiit, templum quod instar civitatis fuit, tot millia templi vasorum, sacrificiorum ritus & ordinem, tot sacrorum ministrorum classes, deinde regium palatium, aromatum & auri tot conditoria, tot vini hypogæa, sed & armamentarium in quo quingenti clypei aurei servabantur, regiæ familiæ numerum & ornatum, domûs gubernationem, sumptus quotidianos, admirandam in rebus omnibus majestatem spectare. Vbi hæc omnia obivit, ubi facundissimam Salomonis sapientiam, seu sapientissimam facundiam suismet auribus toties ac-

(a) *Adrichom. c. 2. n. 12. in Manasse.*

cepit, velut aqua saliens ad obstructum exitum luctata, demum vi maximâ prorupit. Non statim visis tot mirabilibus in exclamationes soluta; sapienter diu omnia est admirata. Denique postquam vidit sapientiam Salomonis, & domum quam ædificaverat, nec non & cibaria mensæ ejus, & habitacula servorum, & officia ministrorum ejus, & vestimenta eorum, pincernas quoque & vestes eorum, & victimas quas immolabat in domo Domini, *Non erat præ stupore ultra in ea spiritus* Nec enim vocem tantum, sed & respirationem interclusit summa admiratio. Tandem fari potens: Verus est sermo, inquit, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: major est sapientia & opera tua, quàm rumor quem audivi Beati viri tui, & beati servi tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus. *(a)* In tali aula famulam agere non dedignarer.

In ceteris plerumque major est rumor rebus, verba factis ampliora: expectationi sæpissime non respondent expectata. Hîc contrarium: *Vicisti*, ait, *famam virtutibus tuis*. Cogitemus obsecro hanc feminam fuisse reginam & quidem potentissimam, regiæ pompæ à cunis assuetam, ingenti comitatu stipatam advenisse, nihilominus tot novis ad-

(a) 3 *Reg cap.* 10. *v.*6. *& seqq.* 2.*Paral.* *c.* 9. *vers.* 3. *& seqq.*

admirandis ita obstupefactam, ut pæne anima defecerit in admiratione. Quis ergo sibi dignum quid fingere de Salomonis aulâ poterit, quæ cogitationes huic apparatui & nitori pares dabuntur? Si autem (liceat ita ratiocinari) aulam Salomonis animo comprehendere nequimus, si eorum quæ oculis subjiciuntur, dignam imaginem fingere non possumus; beatorum sedes, delitias cælestes qua cogitatione nobis ipsi depingemus, cælum quomodo mente concipiemus?

VI. Quo præmio suum remunerata est hospitium? Sacra Regum historia testatur: Dedit autem regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosissimas: non fuerunt aromata talia, ut hæc quæ dedit regina regi Salomoni. *(a)* Saccos utique tulit quibus nos frumentum vestimus: auri vero quindecies centena millia coronatorum præter gemmas donavit. *(b)* Verùm hîc Salomon liberalitatem & hospitalitatem singularissime ostendit. Etenim non solum nihil petiit in hospitii mercedem, sed plura donavit, quàm dono acceperit. Sacer historicus: Rex autem Salomon, inquit, dedit Reginæ Sabæ omnia quæ voluit & petivit ab eo, exceptis his quæ ultro obtulerat ei munere regio, & multo plura quàm attulerat ad eum. *(c)* Quid ergo donorum his donis Rex Hebræus reddidit? Licebit credo conjecturis non fallacibus id indagare. Vtique Rex Salomon donis tam ma-

(a) *Paral. cap. 9. v. 9.*
(b) 1500000. *coronat.* ein feins Kuchengelt.
(c) 3 *Reg. c. 10. v. 13. 2. Par. c. 9. v. 12.*

gnificus fuit in Reginam hanc, atque Cleopatra in ſuum Antonium. Illa, teſte Athenæo, *(a)* in Ciliciam uſque obvia Antonio progreſſa regale ſtruxit epulum, omnia ex auro vaſa, gemmis diſtincta, parietes purpurâ & conopæis ex auro textis veſtiti. Miratus hæc Antonius cum ſuis, familiariter ea laudavit. Cleopatra liberali riſu laudes diluens: Sint hæc omnia, inquit, tua, & unà illum cum ducibus & amicis in diem proximum invitavit. Poſtera hæc dies antecedentem vel ipſis judicibus oculis regifico luxu plurimum ſuperavit; priora ludum jocúmq; dixeris ad hæc ſequentia. Quæ tamen univerſa iterum Antonio donavit, ita ut è convivio Antonius ſuum torum & omnia ſuæ menſæ vaſa abſtulerit. Apophoreta ſane opimiſſima. Addidit Regina Cleopatra quibuſdam ſervos bajulos, aliis equos operimentis argenteis ſtratos. Reginæ hujus liberalitati Salomon indubie non ceſſit. Et cum Ioſephus aſſerat in domo ſaltûs Libani convivia fuiſſe agitata, eóque loci Reginam Saba plurimum oblectatam, præſertim cùm cerneret omnem convivii apparatum è ſolido auro ita factum, ut cum pretio certaret artificium. Hæc omnia, quidquid aſportari poterat, à Salomone donata, hoſpiti reginæ probabiliſſimum: Dedit itaque multo plura quàm ad ipſum ſunt allata.

VII. Quæſtiuncula, quamdiu manſit Hieroſolymis? Septem menſibus, arbitratur Salianus; putant alii anno integro. Sed num tanto tempore Hieroſolymis acto inanium deo-

(a) *Athen. lib. 4. c. 7.*

deorum cultum non dedidicit? Verosimillimum, idque ex aliis potissimum reginæ verbis conjectamus: Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti,& posuit te super thronum Israël, eò quòd dilexerit Dominus Israel in sempiternum, & constituit te regem, ut faceres judicium & justitiam. (a) Hæc verba sunt hominis verâ religione imbuti, & in Deum optime affecti. Theodoretus censet illam in eorum numero locandam qui sine lege zelo se probant. Gregorius Nyssenus à fictis Diis ad Deum traductam opinatur, idque prototypon miraculi Euangelici habendum. Mihi rectissime sensisse Cæsar Baronius (b) videtur, qui existimat hanc Reginam Balaami oraculo motam ad hoc itineris suscipiendum, quemadmodum & Magi ex eadem Reginæ hujus prosapiâ eodē vaticinio non leviter creduntur impulsi, ut ad Christum magnis itineribus pervolarint. Hæc autem Regina credidisse videtur Salomonem esse illum ipsum tot annis expectatum Messiam, quem venit non adoratura ut Deum corpore vestitum, sed auditura ut principem sapientissimum. Quid mirum feminam ita sensisse de Christo, cum doctissimi Iudæi hodiéque non sapientiùs judicent de Messia suo, quem frustra expectent. Singularissimæ fuit gratiæ quod tres illi ab Oriente satrapæ Christum infantem in extrema humilitate positum adorarint. Hoc nec Apostolis ab initio concessum. Idcirco Christus præmonens: Bea-

 tus,

(a) 3 *Reg. c.* 10. *v* 9.
(b) *Baron tom.* 1. *Annal. Eccles. Annal.* 1.

tus, inquit, qui non fuerit ſcandalizatus in me, (a) ob admirandam paupertatem & humilitatem.

At ſtella, dices, huic Reginæ non eſt viſa. Gloriam & ſplendorem ſtellæ vicem ſubiiſſe dicimus, præſertim cum de Chriſto in Orbem venturo, confuſa cognitio impleverit Orientem. Eam ob cauſſam Meſſias, *Expectatio gentium* dicitur. Venit itaque Regina Saba, *In nomine Domini*, ſeu, *propter nomen Domini*. Hoc igitur iter fine bono, Intentione rectâ ſuſcepit. Diximus olim in Amuſſi noſtra: (b) Recta Intentio nunquam errat.

Denique Regina Saba, ut hiſtoricus ſacer loquitur, Reverſa eſt, & abiit in terram ſuam cum ſervis ſuis. Genebrardus cenſet comites adjunctos, duodena millia Hebræorum, è ſingulis tribubus mille homines colonia in Arabiam ductâ. Ideo etiam nunc illic locorum circumciduntur, & propaginem ſuam ex Iſraëlis familiâ jactant. Nec dubium quin Regina Saba Salomoni crebrius reſcripſerit.

(a) *Matth. cap.* 11.

(b) *Cujus editio prima fuit Anno* 1626.

CAPVT IX.

Salomon Clemens.

REx Alphonſus ille laudatiſſimus Aragonum princeps nulla non virtute clarus, Panormitano teſte, cùm ſuaviter moneretur clementiæ pæne delinquentis ac nimiæ: Quid ergo, ajebat, urſos & leo-

leones regnare vultis? Malo multos meâ clementia servare, quàm paucos severitate meâ perdere. Dictum sane regium & ad Salomonis trutinam exactissimum: Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus ejus. *(a)*

Salomon annis compluribus imperando, non leo, non ursus, non tigris fuit; clementia roboratus est thronus illius. Hinc verè Salomon Clemens audiit. Deus Davidem patrem affatus: Salomon, inquit, filius tuus ædificabit domum meam; ipsum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem; si perseveraverit facere præcepta mea. *(b)* Appellari Dei filius submissione ac clementia promeritus est. *Salomon Clemens*, qui nos hoc capite docebit, quid sit Clementia, & quàm ea regibus, principibus & omnibus qui præsunt, decora & necessaria.

(a) *Prov. cap.* 20. *v.* 28.
(b) 1 *Paral. c.* 28. *v.* 6.

§. I.

Salomon parentis sui honorem insigniter & animosè iit defensum, eam ob caussam Ioabum & Semei, prout testamentum patris imperarat, ferro sustulit: nihilominis hac in re clementiâ & moderatione maxuma est usus. Et Semei quidem homini turbulento dici jussit; Hierosolymis quietus ageret & securus, urbe tantummodo non egrederetur. Mitissima lex, non enim domo sed civitate solum prohibitus est exire. Ipse Semei hanc clementiam adorans: Bonus sermo, ajebat, sicut locutus est dominus

meus rex, sic faciet servus tuus.(a) Triennio elapso legem latam violare ausus exiit civitate. Ita caput objecit gladio, non tantum quia Regis imperio non paruit, sed etiam quia jusjurandum temeravit, morti sacrum caput.

Ita veniam dedit Salomon Adoniæ rebelli, & ambienti diadema. Iam certe proximus imminebat sceptro, jam rex proclamatus, jam milite regio stipatus epulis & sacrificiis initium dederat regno; nihilominus Salomon Clemens non eum capite minuit, non omni aulâ exclusit, non Hierosolymis ejecit, sed hoc unum suaviter imperans: Vade, inquit, in domum tuam:(b) ea tibi securitatem dabit. Grandis clementia in tam grande ac capitale delictum.

Quàm porrò clemens Salomon fuit in Abiathar Pontificem qui rebellionis ab Adoniâ motæ, dux, auctor, & caput fuit. Res erat periculorum plenissima & tamen ei Salomon vitæ gratiam faciens: Vade, inquit, in Anathoth ad agrum tuum; & quidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini, & sustinuisti laborem in omnibus in quibus laboravit pater meus. (c) En etiam laudans Abiatharem quantumvis reum: Scio, inquit, quod patri meo quadraginta sex annis fideliter servieris, ideo nec vitæ nec fortunarum jacturam facies, sed urbe tibi cedendum, ne facinus tuum penitus abeat impunitum.

Pri-

(a) 3 *Reg. c.* 2. *v.* 36.
(b) 3 *Reg. c.* 1. *fine.*
(c) 3 *Reg. c.* 2.

Prima igitur Clementiæ pars eſt, ei qui pluribus annis ſerviens,demum graviùs impegit, non omnem continuo gratiam ſubtrahere, & in malam rem ablegare. Quia portaſti Arcam Domini, ait Salomon, non interficiam te.

Pars altera Clementiæ, fidem & obſequia ſubditorum æſtimare. Honeſtiorum famulorum non pauci pro ſalarii parte caperent, ſi ſcirent ſervitia ſua loco aliquo eſſe apud eos quibus ſerviunt. Clemens Salomon Abiatharis obſequium magni æſtimans: ſuſtinuiſti, ait, laborem in omnibus in quibus laboravit pater meus. Sunt domini, qui ſibi omnia deberi cenſent, & in vili habent quidquid denique officiorum à famulis præſtetur. Inclementia ſtupida, quæ omnia ſibi vult deberi.

Quid ergo eſt Clementia? Iuſtus Lipſius politicum doctorem agens: Eſt,inquit, Virtus animi à pœnâ aut vindictâ ad lenitatem cum judicio inclinans.Hæc ex omni numero virtutum convenientiſſima homini, quia humaniſſima. Inter homines tamen neminem omnium magis, quam regem aut principem decet. Hæc Deo ſimilem reddit hominem. Deus quidem punit,ſed pæne invitus. Hinc Moſes incredibilem Deo bonitatem luculenter expertus: Deus Dominator Domine Deus, inquit,miſericors & clemens; patiens & multæ miſerationis,(a) ac verax:qui cuſtodis miſericordiam in millia. Quo plures rex ſubditos gubernat eò cle-

(a) *Exodi cap. 34. v. 6. & 7.*

mentior sit & ad opitulandum pronior. Mirissimam Isaias sed unà humanissimam litem describit. Fuit qui honores ultro delatos respuens, cum rogaretur: Princeps esto noster: Ille deprecatus has dignitates, hanc reddit caussam: Non sum medicus, inquit, & in domo mea non est panis, neque vestimentum; Nolite me constituere principem populi. (a) Quid hoc loqueris, homo, num rex futurus medicinæ prius studeat, aut regia domus panes venales habeat? locum tollamus; serius est Isaias: si Respublica sit ægra, si famelica, si saucia, rex aut princeps sit medicus, curet, opituletur, sanet. Si fames, si bellum, si simile malum provinciam aut regnum depopuletur, è regia domo panis & salus detur. Quemadmodum Pharaonis basilica, Iosepho procurante, fuit panarium, è quo totus pæne sustentabatur Orbis. Sicut autem medici non statim venas secant, & sanguinem mittunt, sed cum gravior est virium defectus cibo recreant, potum instillant: ita rex, ita princeps juvet, ac medicus sit semper, raro phlebotomus.

Roboamus medicorum talium imperitissimus, impotens sui, phlebotomus stultus universum pæne regnum perdidit; certe maximam illius partem amisit. Nec defuerunt qui hæc aperte prædicerent. Supplicabat populus suo regi, & aliquam virium restaurationem rogabat. Cani ac prudentes Consiliarii ita suadebant: Si hodie obedieris populo huic & servieris, & petitioni eo-

(a) *Is. c. 3. v. 7.*

rum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus. Roboami parens Salomon ærario à tot gynæceis miserè dilacerato ad finem regni subditos diris exactionibus pressit. Hinc quærimoniæ non injustæ, & preces variæ. At Roboam spreto senum consilio, adolescentulos pæne lactentes (*a*) audiit, & istud responsi dedit populo: Pater meus posuit super vos jugum grave, ego addam super jugum vestrum: Pater meus cecîdit vos flagellis, ego autem cedam vos scorpionibus. (*b*) Mox undecim Israëlis tribus in apertam rebellionem effusæ defecerunt à rege non medico, sed tyranno. Sola tribus Iuda defectionis expers permansit. Hoc monstrum peperit mater Inclementia. Clementiâ & Beneficentia roboratur solium. (*c*)

Quantò meliùs Roboamo Artaxerxes qui Demeæ ab auctoritate sua resipiscentis sapiens artificium secutus est. Dicebat Demeas: PLEBEM PRIMVLVM FACIO MEAM. Sic Assuerus ut omnes sibi populos conciliaret, pareretque nomen Clementiæ, in hunc modum fixit edictum: Cum plurimis gentibus imperarem & universum orbem meæ ditioni subjugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed Clementiâ & lenitate gubernare subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes optatâ cunctis mortalibus pace fruerentur (*d*)

(a) Junge Milchmäuler.
(b) 3 *Reg.* 12. *v.* 11.
(c) *Aßuerus.*
(d *Esth. c.* 13. *v.*2.

Hoc ſanè principes, hoc domini ac præſides, hoc patresfamilias ac gubernatores animo volvant aſſiduè, hoc eorum quivis pro ſe dicat: Poteſtate meâ non abutar. Male ſuos rexerit, qui grandinare ſemper, qui tonare ac fulminare, qui ſævire ac lacerare voluerit: Clementia multo rectius gubernatur domus, provincia, regnum quàm ſævitia. Hi patres ſunt, qui clementiæ mores induerunt, & quo ſeſe amplius clementia diffuderit, eò jure potiori patres, & patroni vocantur. Veri enim parentes omnia moliuntur, ut revocent ad frugem liberos: non eos continuò exhæredant, aut domo exulare cogunt. Hæc ultima ſunt remedia: his non utuntur niſi coacti. Ita rex aut princeps, ita dominus aut paterfamilias, regia, herili, patria poteſtate non abutatur, ſed eam à pœnâ aut vindicta ad lenitatem cum judicio inclinet. Moderata imperia diuturniora. Manlianis imperiis felicitas omnis corrumpitur. Optima gubernatio quæ temperatiſſima. Prima ducum virtus Lenitas & Clementia.

Hoc Deus exigens à Moſe: Porta eos inquit, in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum. (*a*) Parentem te populi hujus conſtitui, mi Moſes, cave illum ſeveritate nimiâ exaſperes; ut filios tracta. Profectò Deus ipſe hac gubernandi arte utitur. Nam quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt dominus timentibus ſe. (*b*) Huſſæus princeps Iobus patrem Deum æmulatus de ſeipſo: Pater, inquit, eram pauperum. (*c*) Ab hiſto-

(a) *Num. c.* 11. *v.* 12. (b) *Pſ.* 102. *v.* 13.
(c) *Iob c.* 29. *verſ.* 16.

hiſtoria Machabæâ quantum Razias prædicatur, vir amator civitatis & bene audens, qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur. (a) Quàm mitis & clemens Carolus Magnus in Pipinum filium. Rebellionem moverat Pipinus: eâ detectâ veniam dedit Carolus. Conjurationem iterum conflavit filius, ignovit iterum pater. Verùm ne tertiùm rediret ſeditioſum caput, cænobio concluſus eſt Pipinus, duplici beneficio, & Veniæ, & Viæ ad melius regnum oſtenſæ.

Clementia in omni hominum ordine non decora ſolum ſed & neceſſaria eſt. Quiſquis amat eſſe dominus, prius diſcat eſſe pater. Quod nos vir maximi nominis, ſupremus militiæ dux Naaman à rege Syriæ ad Eliſæum miſſus doceat. Hic opulentus certè ac regi ſuo charus, in ſuos tamen famulos tam humanæ fuit benignitatis ut eum non dominum ſed patrem nominarint. Cum enim Naaman Eliſæi ſupercilium, ut putabat, & faſtum expertus, abitum pararet, accedentes ſervi: Pater, inquiunt, etſi rem grandem dixiſſet tibi propheta, certe facere debueras. (b) Patrem prorſus ſe geſſit, & ſervos tanquam filios audiit monentes.

Et publicas & multo magis privatas injurias clementiâ temperandas, non tantùm Salomon Clemens, ſed & alii complures exemplis illuſtriſſimis nos docent.

Pericles jam morti vicinus à ſuis variè laudatus eſt. Alii eloquentiam illius, victorias

(a) 2 *Machab. c. 14. v. 31.*
(b) 4 *Reg. c. 5. v. 13.*

rias alii, prudentiam isti, illi generositatem ac fortitudinem commendabant. At ille in suomet lectulo, capite modicè erecto: Et quid est hoc omne? inquit, quod præcipuum ac maximum ego judico, vos omittitis. Hanc mihi laudem non negat Conscientia: Nemo propter me unquam vestem pullam induit. Hos certe Periclis nomen & famam æternitati consecravit. Hoc summæ laudis in illo fuit, se omnibus mitem & humanum exhibuisse, in neminem vindictæ ignes ejecisse. Hinc dictus Pericles Olympius. O utinam Christiani, utinam sub vitæ finem hoc pro se quisque gloriari possit! Propter me nemo atratus incessit, nemo ingemuit, neque oculos tersit: Hæc Christiana Clementia non tantum nomen à cælo, sed ipsum dabit cælum. Clementia firmatur solium nunquam ruiturum.

CAPUT X.

Salomon Magnificus.

Petrus Aldobrandinus senator purpuratus dicere solebat: Nemo potest sine re amplâ verè esse magnificus. Interrogatus porro: Quisnam igitur esset Magnificus: Qui muros urbis, respondit, qui navalia, qui theatra & porticus, eáque omnia extruit quæ ad communem usum faciunt civitatis. Domus verò Magnifici non auro, nec ebore, sed hostium spoliis est adornanda. Cum ulterius quæreretur; quidnam vide-

videretur esse maximum? Beneficiis, ajebat, non vinci.

Si mortalium ullus unquam *Magnifici* nomen jure potuit adipisci, certè Salomon adeptus est. Et quidem, si Aldobrandini verba spectemus, geminum ædificium eâ magnificentia struxit Salomon, quâ Regum nullus aut Imperatorum.

Primum ædificium fuit templum; alterum, palatium regium. Erant autem hæ structuræ tales, ut appellari potuerit Salomon magnificentissimus, & si quid ultra magnificentissimum dici potest.

Et quod quidem Templum attinet, diutule anceps deliberavi, num de eo instituendus sermo, cum pæne omnia, quæ sacri codices de illo tradunt, videantur incredibilia. Rationes tamen nonnullę adigunt paucula de Templo libare. Prima ratio sit: E templi structura facillimum erit intelligere quàm opulentus sit paterfamilias Deus, si gazophylacium suum vel levi manu moveat. Altera, quam liberalis Deus & magnificus in eos, qui tales in ipsum. Tertia, quàm suavis & opulenta sit prosperitas quæ à Deo est. Quarta, quantum & regis & populi fuerit studium & ardor in colendo Deo. Quinta, quàm æquè Salomon dictus sit Magnificus. Sexta, ut templi Ierosolymæi magnificentiam summam intuiti plus ultra gradiamur oculis, & quæramus: Quid obsecro erit in cælo, & unà etiam discamus quàm quisque in suo magnificentiam exerceat. Hâc igitur dissertatione duodecim capita de Templo breviter annotabimus, è

quì-

quibus Magnificentia Salomonis eluceat.

I. Caput: Templum Hierosolymis ædificavit Salomon. Res certa è sacris aliisque libris. Et minimâ Societate nostra complures hoc templum scriptis celebrarunt. Alphonsus Salmeron tom. I. è sexdecim. Franciscus Ribera libris quinque. Sebastianus Barradius historiæ Euangelicæ tomo secundo luculente. Ioannes Azorius tomo primo Institutionum Moralium à capite vicesimo quarto ad quinquagesimum sextum. Ioannes Baptista Villalpandus & Hieronymus Pradus in Ezechielem, quibus putem, præ aliis plurimum credendum uti architectis, arithmeticis, geometris, mathematicis, qui omnia ad circinum & mensuras certas revocarunt; huic quidem uni studio se consecrarunt. Ioannes Pineda copiosè. Iacobus Salianus tomo tertio Annalium Ecclesiasticorum digitum intendit ad fontes; satis est.

II. Tempus templi conditi fuit Annus ab Orbe condito ter millesimus tricesimus secundus, à regni Salomonæi principio quartus. Ad structuram namque annis quatuor ingens facta præparatio; toti exercitus è distinctis provinciis & regnis convocandi. Annus demum septimus supremam operi manum imposuit, quamvis omnia simul atria, totáque structura simul cæperint in altum crescere. Initium huic ædificio dari cæptum Aprili, vel, ut aliis placet, Majo mense. Herodiani templi machina quadraginta sex annos in sui perfectionem devoravit. Clare Matthæus: Dixerunt ergo Iudæi, ait, qua-

quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? (a)

III. Magnitudo Templi ingens incredibilis, civitatem bene magnam æquavit ſpatio. Ita Ezechiel: Dimiſit me, inquit, ſuper montem excelſum nimis, ſuper quem erat quaſi ædificium civitatis vergentis ad Auſtrum. (b) Ita & David Rex: Fundatur, ait, exultatione univerſæ terræ, latera Aquilonis, civitas regis Magni. (c) Ioſephus ſcriptor Hebræus aſſerit Templum peregrinis procul aſpicientibus viſum fuiſſe montem niveum mixtis auri radiis, non ſine oculorum pavore: tam copioſum aurum exterior quoque facies Templi præferebat. In hoc uno ſanè Templo potentiſſimi duo & ſapientiſſimi reges, omnem & ſapientiam & opulentiam inſumpſerunt. Machabęa hiſtoria Templi Solimæi mentionem injiciens: Quod, inquit, per univerſum Mundum honoratur pro ſui veneratione & ſanctitate. (d) Salomon Templi conditor, & mille teſtibus locupletior teſtis: Domus, inquit, quam ædificare cupio, magna eſt: Magnus eſt enim Deus noſter ſuper omnes Deos. (e) Regum baſilicæ, Imperatorum curiæ, ſeptem Orbis miracula, Epheſię Dianę templũ, palatia alibi & ædificia prorſus admiranda, ad unum Salomonis Templum mapalia fuerunt & tuguria.

(a) *Ioan. cap.* 2. *verſ.* 16.
(b) *Ezech. cap.* 40. *verſ.* 2.
(c) *Pſ.* 47. *verſ.* 3.
(d) 2 *Mach. cap.* 3 *verſ.* 12.
(e) 2. *Paral. cap.* 2. *verſ.* 5.

ria, si unius illius amplitudinem spectemus & thesauros immensos. Herodianum templum in centum viginti cubitos. *(a)* assurrexit: quæ altitudinum immensitas in Salomoneo Templo? Substructio certè illius ob valles immensi fuit operis, ita ut alicubi murus cubitos trecentos, plures alibi altus, quinquaginta latus fuerit.

IV. Operarii Templi tot fuerunt, ut nisi eorum numerum distinctissimè dicerent divini libri, vix quisquam narranti fidem haberet. Et Hierosolymis quidem in extruendo Templo laborarunt hominum supra centum millia sexaginta quinque millia. Præfectorum tria millia trecenti. Proselytorum in monte onera portantium septuaginta millia. Latomorum & saxa templo parantium octoginta millia; Præfectorum in hos tria millia sexcenti. Ita chronicon Regum. *(b)* Summa illorum omnium quadringenta millia, mille nongenti. His omnibus alimenta præbuit rex Salomon septennio toto & ultra, ditavitque etiam mercenarias has operas sine hostium spoliis, sine amicorum injuriis. *(c)* Finito templo singulis operariis donavit decem siclos. *(d)* De Levitis Chronicon Regum testimonio se sistens: Numerati sunt, inquit, Levitæ à *(e)* triginta annis & supra, & inventa sunt triginta octo millia virorum. Ex his electi sunt & distributi in ministerium domûs Domini viginti quatuor

(a) *Seu 180. pedum.*
(b) *2 Paralip. cap. 2.*
(c) *Ita Villalpand. tomo 2. in Ezech. l. 5.*
(d) *Siclus 8. Batzen.* (e) *Viginti: alibi.*

tuor millia. Porrò ſacerdotes pæne innumeri. Præpoſitorum autem & judicum ſex millia. Porrò quatuor millia janitores: totidem pſaltes canentes Domino in Organis quæ fecerat ad canendum. *(a)*

V. Sumptus à David Rege huc collati incredibiles & immenſi. Cornelius de Lapide Exodum interpretatus numerat duo millia millionum auri & quadringentos. Vnicus auri millio nobis decies centena millia coronatorum. Villalpandus in Ezechielem affirmat ſecundùm Italicæ monetæ calculum tria millia millionum ducentos octoginta duos milliones, inſuper centum & triginta quatuor millia, & viginti octo coronatos ſeu Scutatos*(b)* Romanos. Summa, fateor, incredibilis. Sed aut convincendus Villalpandus, erraſſe calculo, aut habenda fides cum bibliis calculum moventi. Locupletior teſtis non erit quam ipſe Rex David, qui de his ipſis ſumptibus: Ecce ego, inquit, in paupertate meâ præparavi impenſas domûs Domini, auri talenta centum millia, argenti mille millia talentorum; æris verò & ferri non eſt pondus, vincitur enim numerus magnitudine. *(c)*

VI. Collectum populi. *(d)* Hîc auctores geminos aſſigno, Pinedam & Salianum: ille ad Hiſpanicam, iſte ad Gallicam monetam accuratiſſimas collegit rationes. Pineda cum divinis libris calculum movens: Popu-

 lus

(a) 1 *Paral. cap.* 23. *verſ.* 3. *& ſeqq.*
(b) *Scudi vocant Itali.*
(c) 1 *Paral. cap.* 22. *verſ.* 14.
(d) Contribution.

lus, inquit, tantum ferri, æris, argenti, auri contulit, ut id Hispanicæ monetæ efficiat mille ducentos & octo milliones, centum & nonaginta sex millia ducatorum Hispanicorum. Hoc è computatione diligentissimâ Villalpandi sumptum. Neque verò solus populus, sed & omnes ac singuli principes rogati, quid pro se quisque voluntario munere in structuram templi offerret, idque in tabulas relatum. Liberalitatem ducum pronissimis manibus secutus est populus. Salianus ergo hunc ponit calculum. Populus puri puti auri septuaginta duos milliones, nongenta & viginti sex millia, sexcentos sexaginta sex aureos repræsentavit. Tantum autem æris & ferri quantum auri collegerat David. Hinc ea omnis summa mille milliones multùm excessit. Insuper, quod sacri codices apponunt: Apud quemcunque inventi sunt lapides pretiosi, dederunt in thesauros domûs Domini per manum Iahiel Gersonitis. An non satis fuerit caussarum, quæ reginam Saba in stuporem darent?

VII. Oraculum seu sanctum sanctorum in medio templi locatum. Hîc arca & candelabrum, ideo locus sine fenestris. Quem Regum libri sic describunt: Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini. Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis, & operuit illud atque vestivit auro purissimo. (a) Et ne forsan quis putaret oraculum tantummodò

(a) 3 *Reg. cap. 6. vers. 19. & seqq.*

ĉo inauratum, addidit; Fecit quoque domum ſancti ſanctorum, & laminis aureis texit eam, quaſi talentis ſexcentis. Sed & clavos fecit aureos, ita ut ſinguli clavi ſiclos quinquagenos appenderent: cænacula quoque texit auro. (a) Et fecit in oraculo duos Cherubin de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis. Quinque cubitorum ala Cherub una, & quinque cubitorum ala Cherub altera, id eſt, decem cubitos habentes à ſummitate alæ unius uſque ad alæ alterius ſummitatem. Decem quoque cubitorum erat Cherub ſecundus in menſurâ pari. Texit quoque Cherubin auro. Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur: ſed & totum altare oraculi texit auro. (b) Porrò aurum erat probatiſſimum, de cujus laminis texit domum & trabes ejus, & poſtes, & parietes, & oſtia. Sexcenta verò illa auri talenta interpretatur Salianus ſeptem milliones, & quingenta millia aureorum. Singulos clavos ait appendiſſe libras duas & unciam, ſeu, viginti quinque auri, hoc eſt, ducentos & octo aureos.

VIII. Trabes & tigna Templi non minus habent admirationis quàm cetera. Numerus trabium planè innumerabilis, & quod pæne fidem excedat, maximam partem Cedri, quæ ſenectutem neſciunt, & cariem non admittunt. Earum longitudo pedes octodecim, ſeſquipes craſſitudo. Dixiſſes totas ſilvas cum omnibus ſuis arboribus in hanc unam domum commigraſſe. Plurimus hic

(a) 2 *Par. cap.* 3. *verſ.* 8. & 9.
(b) Achthalb Million golds.

cedrorum uſus. Nam texit domum laquearibus cedrinis; & cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur. Et ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum cedri. (*a*) Cornelius Tacitus tametſi malevolus Iudæorum obtrectator, nihilominus hanc Salomonis ſtructuram, Templum immenſæ opulentiæ, appellat. (*b*)

IX. Lapides Templi, non tophi aut lateres cocti, ſed ſaxa quadrata ingentia, marmor Parium candidiſſimum. Ioſephus eam Templi altitudinem, longitudinem ac latitudinem fuiſſe ait, ut eam molem non humanâ induſtriâ, ſed Angelorum operâ eductam par ſit credere. Reverâ vel ſoli lapides miraculo fuerunt. Siquidem Apoſtoli viri ſimplices ac rudes, non tamen aurum, non cælaturas, non parerga & emblemata, ſed quadratos lapides mirati: Magiſter, inquiunt, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ. (*c*) Ita templi materia fuerunt cedri, candidiſſimum marmor, argentum, aurum. Illud hîc ſanè admirandum in tanto operarum exercitu, nihil ſtrepitûs aut fragoris eſſe auditum. Quod Regum liber clarè teſtatur: Malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo cùm ædificaretur. (*d*) Myſterium erat, hoc loco non ſatis eruendum. Verbo rem abſolvo Dum vivimus in latumiâ ſumus, ubi ſtrepitus & fragor aſſiduus, ubi malleatores innumeri, in-

(a) *3 Reg. cap. 6. plur. verſ.*
(b) *Tacit. l. 5. hiſt.* (c) *Marci c. 13. v. 1.*
(d) *3 Reg. cap. 6. verſ. 7.*

inquies perpetua, ubi longa ſeries diverſarum calamitatum, ubi juges lacrimæ. At illic in cælesti Ieruſalem ictus malleoli nullus, nullus gemitus, nil ſuſpiriorum aut fletûs audietur, Pax & tranquillitas ſumma, voluptas ſempiterna.

X. Altare æneum appendebat novem decim millia ducenta quadraginta quatuor talenta(*a*)æris. Mare æneum fuſile cum bobus duodecim, velut baſibus, appendebat duo millia octingenta triginta ſex talenta æris. Tria millia metretarum (*b*) capiebat; metretæ ſingulæ triginta ſex menſuras noſtras. Hoc enim metreta eſt Hebraica. Duæ columnæ, ſeu veriùs, duo Templi miracula, quarum alteri SACHIM, iſti Booz nomen: utraque triginta quinque cubitos alta, ſex cubitos craſſa. Has columnas Villalpandus velut libripens examinavit trutinâ, & denique pronuntiavit pondus illarum eſſe nonaginta millia triginta ſeptem talenta, libras & uncias non putando. Vtramque Salomon veſte prorſus pretioſâ amiciens obduxit auro, digiti craſſitie. Quis mihi arithmeticus hîc addivinet, quantum auri in veſtiendas has columnas inſumptum? Villalpandus poſt accuratiſſimam, quam fieri potuit, rei trutinam, affirmat in utramque hanc columnam impenſos nonaginta quinque milliones auri, inſuper nongenta quinquaginta tria millia aureorum, centum vi-

(a) *Talentum*, Centner / *ſeu Quintal. Hiſpanicum quod habet* 5. *Arronas, harum quævis* 25. *libras.*

(b) Almer.

viginti quatuor aureos Romanæ monetæ. Reliquum æris nec numerari nec ponderari potuit. Testatur Regum chronicon: Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita ut ignoraretur pondus æris. (a) Sed hactenus nihil dixisse videbimur, si ponderemus sequentia.

XI. Vasa argentea & aurea. Argenteorum tam grandis multitudo fuit, ut ea in numerum cogi non potuerit. Solùm igitur numeremus vasa è puro puto auro confecta. 1. Fuerunt decem candelabra majora ex auro purissimo, uti & ea omnia quæ subjungemus. Decem millia mensarum minorum: Totidem minora candelabra. Mensuræ, Tubæ, Thuribula, Phialæ, Litatoria viginti millia ex auro, Instrumenta ex electro quadraginta millia. Crateræ aureæ ad subigendam similam sexaginta millia. Canthari vinarii & lances aureæ octoginta millia. Phialarum aureorum centum millia. Summa vasorum aureorum quadringenta & viginti millia. Argenteorum verò mille millia & quinquaginta millia. Ita Iosephus testis oculatus Templi. Villalpandus summam vasorum aureorum auget, asseritque fuisse sexcenta sexaginta millia. Additque firmandis dictis: Hoc tantum auri, cubiculum decem cubitos altum, & decem longum, & quinque latum non caperet. Deus summe, quàm immensa vis auri & pæne incredibilis. Omnis Europa putem, & Asia, hanc auri molem hodie non repræsentet.

XII. Hæc tamen omnia ob unicam caus-

sam

(a) 2 *Par. cap* 4. *vers*.18.

ſam non adeò admiranda, multò minus incredibilia, quia Templi architectus fuit Deus. Regum Chronicon affirmat: Dedit autem David Salomoni filio ſuo diſcriptionem porticûs, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domûs propitiationis, nec non & omnium quæ cogitaverat atriorum, & exedrarum per circuitum in theſauros domûs Domini, & in theſauros ſanctorum, diviſionúmque ſacerdotalium & Leviticarum in omnia opera domûs Domini, & in univerſa vaſa miniſterii templi Domini. Omnia venerunt ſcripta manu Domini ad me, ut intelligerem univerſa opera exemplaris. (a)

An non igitur Deus paterfamilias optimus opulentiſſimus? qui in ſuis gazophylaciis multa habet recondita, quæ manibus affectu pio immerſis ultro ſeſe ingerant. Liberaliſſimus fuit Deus in David & Salomonem erga ſe liberales. Certiſſimum: à nemine Deus ſe vinci patitur liberalitate. Das multa Deo? multò plura rependit tibi Deus. Et quid nos viles ſervuli Deo damus, niſi quod priùs à Deo accepimus? Facile cuivis famulo è ſui domini marſupio liberalem eſſe. Date Deo, & dabitur vobis: Quærite primum regnum Dei, & cetera omnia adjicientur nobis. Videte quanti ſit à Deo benedictione affici: David è paſtorculo rex opulentiſſimus, filium relinquit regem ſe longè opulentiorem. Vtrumque benedictionis fuit divinæ.

Atque hinc, quod noſtri hoc capite inſtituti,

(a) *1 Par. cap. 28. verſ. 11. ſeqq. & v. 19.*

stituti, Magnificus Salomon ab Orbe toto salutatus est, qui planè auream Deo domum condidit. Vera Christianorum magnificentia, non servire pecuniæ: Beatus vir qui post aurum non abiit.

CAPVT XI.

Salomon Magnificentissimus.

MAgnificum ostendimus, nunc etjam ostendemus Magnificentissimum. Templum immensis sumptibus eduxit septennio, suæ domui ædificandæ pæne alterum tantum temporis impendit. Neque verò solùm basilicam magnificentissimam struxit, sed eam etiam familiâ copiosissimâ, supellectili regiâ, splendore magnificentissimo instruxit. Quod Regum Fasti asseverant: Magnificatus est Rex Salomon super omnes reges terræ divitiis & sapientiâ. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus.(*a*)

Salomonis Magnificentiam quâ Templum condidit, sub oculos posuimus; Nunc de illâ loquemur quâ suam Aulam & familiam rexit. Hîc quatuor nobis consideranda. 1. Salomonis Domus. 2. Familia illius. 3. Mensa ejusdem. 4. Equitatus & itinera istius regis. Ex his verè Magnificentissimum Salomonem cognoscemus. Quòd autem priori capite, Magnificum, hoc autem Salomonem magnificentissimum exhibea-

(a) 3 *Reg. cap.* 10, *vers.* 23.

beamus, rationem è ceteris hanc quoque assignamus: Omne quod Templo dedit, Deo donavit, ad quem collatus vix Magnifici nomen habebit: Quod autem aulæ impendit, sibi suóque nomini augendo impendit. Quâ quidem in re Magnificentissimus censendus, uti jam docebimus.

§. I.

I. *Domus Salomonis Magnificentissima.* Non errem, credo, si domum hanc urbem nominem, quæ duabus aut tribus partibus constabat. Pars prima, Palatium regis, in quo quotidie versabatur. Pars altera, Palatium tot Reginarum. Tertia pars, Domus saltus Libani, Æstatis domicilium, paradisus merus, Amœnitas ipsa; *Domus saltus* dicta ob incridibilem numerum & multitudinem columnarum cedrinarum, tanquam eò totæ immigrassent silvæ. Hîc jus dicebatur à Salomone. Porrò palatium regis distinctas habitationes quam plurimas continebat. In eo domus pharmacorum, aromatum, odorum, unguentorum, & quidquid hujuscemodi rerum est; Domus thesaurorum, Domus armorum, seu armamentarium, in quo ducentæ hastæ aureæ, quingenta ex auro solido fuere scuta; trecentæ peltæ & majora scuta ducenta. Expressè tam Chronicon quàm Fasti Regum: Fecit igitur Rex Salomon ducentas hastas aureas, de summâ sexcentorum aureorum qui in singulis hastis expendebantur. Trecenta quoque (a) scuta aurea trecentorum aureorum

(a) *Scuta sunt majora.*

rum quibus tegebantur ſingula ſcuta, poſuitque ea rex in armamentario quod erat conſitum in nemore.(*a*)Hæc regum hiſtoria confirmans. Fecit quoque Rex Salomon, inquit, ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius. Et trecentas peltas ex auro probato, trecentæque minæ auri unam peltem veſtiebant; poſuitque eas Rex in domo ſaltûs Libani. Villalpandus aſſignat ſingulis peltis mille ducentos ſeptuaginta quinque aureos ſeu ſcutatos Italos. Summa omnium peltarum trecenta & octoginta duo millia quingenti aurei. Singulis autem ſcutis idem ſcriptor tribuit duo millia quingentos quinquaginta aureos, ſeu ſcutatos Romanos. Summa ſcutorum omnium quingenta & decem millia aureorum. Vniverſa hujus pecuniæ vis ſexcenta & ſexaginta ſex talenta auri.(*b*)

Domum Aromatum Regina Saba muneribus ſuis mirificè reſtauravit & auxit. Siquidem regi donavit aromata multa nimis; non ſunt allata ultra aromata tam multa, quàm ea quæ dedit Regina Saba regi Salomoni.(*c*)

In domum Theſaurorum aſſerit Villalpandus, præter omne argentum, præter portoria & vectigalia, præter principum regúmque dona, importatos ſoliùs puti puri auri annuos milliones triginta ſeptem, inſuper quadringenta ſexaginta tria millia, quingentos

(a) 2 *Par. cap.* 9. *verſ.* 15. *&* 16.
(b) 1 *Reg. cap.* 10. *verſ.* 16. *&* 17.
(c) 1 *Reg. cap.* 10. *verſ.* 10. 2 *Par. c.* 9. *v.* 9.

gentos octaginta aureos seu scutatos Italos. Quod si ad monetam Hispanicam & Hispanorum ducatorum hanc summam putemus, erunt annui triginta tres milliones auri, insuper quinquaginta sex millia ducatorum. Supellex regiæ domûs planè etiam regia, hoc est magnificentissima. Nam, uti Chronicon Regum testatur: Omnia vasa convivii regis erant aurea; & vasa domûs saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur. De Salomonis domo dici potuit quod de cælo: In domo Salomonis mansiones multæ.

§. II.

II. *Familia Salomonis amplissima.* Salomon de seipso per Ecclesiasten à se scriptum fassus: Possedi, ait, servos & ancillas, multámque familiam habui. (*a*) Familiam hanc numerat Villalpandus, censétque tam Hierosolymis quàm alibi locorum. Salomonæi famulitii capita fuisse quadraginta octo millia sexcenta. Brevî res ipsa satis loquetur. Iosephus de Salomonis equitatu disserens: Equites, inquit, flos juventutis, promisso capillitio conspicui, & tunicas è Sarranâ purpurâ induti: adhæc ramentis aureis capillum quotidie spargebant; (*b*) Salomonis regiorum in vestitu insignium color fuit purpureus. (*c*) Capillos inaurare illo ævo moris fuit. Quò Gregorius Nyssenus alludēs: Ha-

(a) *Eccles. cap. 2. vers. 7.*
(b) *Ioseph. 18. Antiq.*
(c) Liberey.

Habuerunt, inquit, tincturam auri. Hinc etiam Salomonis sacra carmina, sponsi aureum caput dilaudant. Hinc apud nos pretii & laudis est aurea Cæsaris, rutili, flaventes aureoli capilli.(a)

III. *Mensa Salomonis lautissima.* Fasti Regum hanc mensæ lautitiam explicantes: Habebat autem, inquiunt, Salomon duodecim præfectos super omnem Israël qui præbebant annonam regi & domui ejus: per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant.(b) Præfectorum quivis suum sibi mensem habuit, aliter negotium fuisset infinitum, & nemini satis extricabile. Erat autem cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ, Decem boves pingues, & viginti boves pascuales, & centum arietes, exceptâ venatione cervorum, caprearum, atque bubalorum, & avium altilium. Ipse enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen quasi à Thapsâ usque ad Gazam, & cunctos reges illarum regionum, & habebat pacem ex omni parte in circuitu.(c) Triginta, inquit sacer historicus, cori similæ, & sexaginta cori farinæ. In dies ergo singulos universè nonaginta cori farinæ absumebantur. Corus unicus habet modios quadraginta quinque, medimnos autem septem cum dimidio. Centum arietes sive agni: nam agnina Hebræis in delitiis. Regiæ mensæ cibos civitates duæ curabant. Lau-

(a) Geldgelbs Haar.
(b) 3 *Reg. cap.* 4. *vers.* 7.
(c) 3 *Reg. cap.* 4. *vers.* 12. *& seqq.*

Lautum profectò sit prandium quod pro culinâ geminas habet civitates.

§. III.

IV. *Itinera Salomonis & equitatus nobilissimus.* Historiæ sacræ verba sunt: Habebat Salomon quadraginta millia equorum currulium, & duodecim millia equestrium. Nutrierántque eos supradicti regis præfecti: sed & necessaria mensæ Regis Salomonis cum ingenti curâ præbebant in tempore suo. *(a)* Fuerunt igitur equorum quinquaginta duo millia. His si numerus addatur quem Chronicon Regum exprimit, erunt quinquaginta septem millia equorum & sexcenti. Vtique rex Salomon satis habuit avenæ ac pabuli. Profectò hujus regis re frumentariâ ali potuissent equitum octingenta unum & nonaginta millia quadringenti quinquaginta, si quot mensibus cuilibet equo fuissent modii quinque admensi. *(b)* Equorum tunc usus varius, præcipuè ad itinera & vecturas. Iter suscepit Rex Salomon in Libanum montem urgendæ templi structuræ, & ut operariis animos adderet sui aspectu. Aliud iter in Asiongaber institutum: ut classem auri venatricem præsens videret, & si quid deesset, consiliis & re juvaret. Tertium iter in Ægyptum, ut ad Pharaonem socerum reviseret. Quartum necessarium ad novas civitates condendas. Salomō ubique magnificentissimus. Eo in publicum prodeunte virgines tā Hierosolymis quàm aliis

(a) 3 *Reg. cap.4. vers.26.*
(b) *Villalpand. tomo 2.*

aliis urbibus erant ad id doctæ, ut obvium Regem, sparsis odoribus è thuribulis & vasis unguentariis salutarent. Hoc mihi tantò visum credibilius, quia Salomon imago Christi in plurimis: quod in Salomone cerni ac tangi, hoc in Christo intelligi potest. Poëma divinum canit: oleum effusum nomen tuum; ideò adolescentulæ dilexerunt te; curremus in odorem unguentorum tuorum. Hoc in Salomone umbra, res ipsa fuit in Christo. Ritus hic incendendi publicè odores nec profanis historiis ignotus. In progressu & solemni pompâ Ptolomæi Philadelphi Athenæo teste, prolata sunt vasa unguentaria grandiora decem, hydriæ duodecim, thuribula aurea, trecenta quinquaginta, aromatum plaustra octingenta (a) In Amphitheatro Lipsii sparsiones florum, & imbres odoratos fragrantésq; pluvias observo. Hæc omnia utique in parato habuit Magnificentissimus Salomon. Verè Magnificatus est Rex Salomon super omnes reges terræ.

Magnificentia Christiana est, quod suprà monuimus, non servire pecuniæ. Hoc dominus IESUS, Salomon novus, & exemplo docuit & sermone. Hic quæstio sit: Cur argentum Salomonis ævo tam vile? Nam argentum in diebus illis pro nihilo reputabatur. Arcana significatio. Venturus erat Salomon, cujus ævo illa omnia quæ argento significari solent, opulentia, nobilitas, eloquentia, forma, fama, vires, nihili facienda, nisi deaurentur charitate verâ. Nam etsi jure gloriari quis possit: Sum formo-

(a) *Athen. l. 5. Dyprosoph. cap. 5.*

mosus, sum sanus, sum robustus, sum eloquens, sum opulentus, sum doctus, gratiâ & dignitatibus præcellens. Adde, mi homo: Si autem charitatem non habuero, nihil mihi prodest, quidquid illorum est, nihil sum. Vbi germanum charitatis aurum, illic non operosè colitur vanitatis argentum.

Sapiens Plato, teste Æliano, mores Agrigentinorum considerans, eosque tam lautos & magnificos in ædificiis, vestibus, cœnis: Agrigentini, ajebat, ædificant quasi semper victuri, cœnant quasi quotidie morituri. Præclarè ista Christiano etiam sensu: quid enim nostra omnis vita, nisi ædificatio continua & operosa? Lucas ædificii hujus memor: Iste homo, inquit, cæpit ædificare. (a) Quotidie comportamus lapides ad illud ędificium in quo semper manendum. Videte igitur Christiani, quos comporteτis lapides. Si lapillos tantum & siliculos congeratis, ædificium heu non magnificum! Nil solidæ virtutis, non vera sui despicientia, non longanimis patientia, non liberalitas Christiana quæ largiatur nihil receptura: siliculos congerimus. Hinc structura misera, & priusquam surgat, ruitura, magnificentia hic nulla. O Christiani quadratis saxis, virtutibus solidis ædificate, æternum victuri, ædificium semper mansurum struite, tanquam quotidie morituri cœnate. Agrigentini tam pollucibiliter ac laute mensas instruebant, tanquam supremâ cœna valedicerent. (b) Cum

(a) *Luc. c. 14. v. 30.*

(b) Als wann sie die Letz geben.

lautiusculè cœnamus; cùm nobis bene est, ita utamur præsentibus, ut futura non amittamus. Sequitur immortalitas & æternitas. Idcirco nunquam excidat sanior hæc cogitatio: His quæ mulcent & sapiunt, brevî carebis: & ubi tu nunc eris, quid comedes? Ergo animum his non immerge, tanquam semper hoc modo epulaturus. De te, déque me, deque nobis omnibus brevi dicetur: Absolverunt hi suas cœnas, ebiberunt suum vinum; omnis eorum hilaritas finiit; jam in silentum numero censentur. Hîc igitur tenui quadrâ prandeamus, tanquam inter superos semper cœnaturi. Cum autem nobis est ægrè, toleremus, tanquam brevi, vel etjam eo die morituri. Expectat nos cœna magna, epulum non finiendum, cujus modimperator Salomon novus, suos convivas animans: Comedite amici, dicet, & bibite, & inebriamini charissimi. (a) Et transiens ministrabit illis: Beatus qui manducabit panem in regno Dei! Illic vera est Magnificentia, ubi nihil mediocre vel parvum.

(a) *Cant. c. 5. v. 1.*

CAPVT XII.

Salomon Iustus.

ARistoteles, & cum eo philosophorum moralium senatus, in principe omnigenas quidem virtutes sed cum discrimine requirunt. Duplices, ajunt, virtutes sint principis: Majores & minores; hæ ut stellæ, majores illæ ut sol & luna, luminaria

minaria magna, sidera regia. E majoribus primæ Iustitia & Clementia: Iustitia velut sol regnum illuminat, Clementia ut luna tenebris moderatur. Nox merissima ubi non imperant hæc astra. Scite dixit & verè Augustus Imperator: Pietate & Iustitiâ principes Dii fiunt. De justitiâ hoc capite disserendum: primò quidem ostendendum in quo sese Salomonea justitia potissimum exeruerit. Deinde ordine dicendum, & per certa capita, in quibus demum vera consistat Iustitia.

§. I.

Salomon Rex tertio principatûs, vicesimo tertio ætatis anno humanam hanc divinitatem expressit in seipso tam decore per Iustitiam, ut radios solares per omne suum regnum explicuerit. Audivit itaque omnis Israël judicium quod judicasset rex. *(a)* Res ita evenit: Mulieres duæ vulgati corporis, suam utraque prolem habuit, sed illam non utraque pari studio curavit. Fætum enixa est utraque in eodem cubiculo, sed altera suum filium incauta noctu oppressit, & alteri vivum surripuit, quem cum altera repeteret, negaret ista, itum est ad tribunal Salomonis. Vbi prima sic cœpit perorare: Rex vive; ego ancilla tua & hæc mulier domum eandem habitamus, eodem utimur cubiculo, nec hominum quisquam nobiscum est in hisce ædibus. Postquam autem ambæ feliciter peperimus suum quæq; filium, paucis post diebus hujus mulieris filius est mor-

(a) 3 *Reg. c.* 3.

tuus: nam illum incuriâ grandi oppressit. Vt autem hanc turpissimam incuriam sagacitate sarciret, hoc iniit consilii. Iam alta nocte, & sub primi somni fervorem clam surrexit, & meum mihi filium à dormientis latere surripuit, & apposuit ejus loco suum mortuum. Primo mane cum ego famula tua filio meo lac essem præbitura, pro meo vivo, mortuum alienum inveni Quem cum luce non amplius dubia inspexissem attentissimè, deprehendi non esse meum filium, sed suppostitium. Vide, mi Rex, hujus mulieris flagitiosam in me fraudem. Hic altera non ultra se continens: Rex, inquit, æternum vive: Quidquid ab hac muliere, improba garrulitate dictum est, vanum, falsum est; nequissime in me confictum est. Prorsus aliter sese res habet: filius meus vivit, illa suum incauto pressu extinxit, & ita scelus, quod mihi impingit, ipsa patravit. Mox ogganniens altera: Mentiris, inquit, vivit meus filius, tuus est mortuus; tu tuum obtrivisti, ego meum jure repeto. Diem solidum lis ista videbatur occupatura, adeò femineæ linguæ in se mutuis vulneribus exarserant. Hic Salomon: Iurgantes, inquit, partes satis audivi. Hæc dicit: Meus filius vivit, tuus obiit. At illa negans, suum filium ait vivere, non suum esse mortuum. Quid faciendum? Et certe lis videbatur inextricabilis: nam rei peractæ testes nulli, constans utrimque clamor, rationes vix ullæ & obscuræ. Quocirca sapientissime Salomon definiturus hanc litem: Stringatur gladius, inquit, & medius dividatur vivus infans,

ſuam quæque partem habeat. Hic vera mater exclamans: Obſecro, ait, domine mi Rex, obſecro, amittam ego litem, dummodo infanti parcatur. Habeat illa meum filium, modò vivum. Non ſuſtineo coram me meum ſanguinem, dulciſſimum pignus meum cernere obtruncatum. Hic vero altera protervis urgens clamoribus: Nec mihi, ait, nec tibi, dividatur infans. Continuò rex verâ matre jam ſatis cognitâ: Non occidatur infans, ait, ſed huic vivum date, quæ filii vitam jacturis omnibus habet potiorem: hæc genuina ipſius mater eſt. Audivit itaque omnis Iſraël judicium quod judicaſſet Rex, & timuerunt Regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum judicium.(a) Ab hâc tam ſapienti juſtitiâ Rex jure nomen & laudem tulit, *Salomon juſtus*.

Cum veniâ veſtra, ô Magni reges & principes, quam hoc in vobis & magnum eſſet ac decorum, ſaltem ſubinde viliores animas admittere ad dicendam cauſſam, aut etiam ſuggerendum conſilium; Nonnunquam & olitor eſt opportuna locutus. Hoc non tantum humanitatis ſed & prudentiæ foret, frequenter etiam juſtitiæ. Homines ſumus, non dii; venerandi, non adorandi, poſt fata cum mendicis habitaturi. Quoties opifex mechanicus, miles gregarius ſed exercitatus, ſenator pedarius ſed eruditus rectiſſima ſuaſit ſuo principi; aliis aut non tantum peritię aut non tantum animi fuiſſet ore libero ea profari. Vnis & iiſdem ſemper ſuaſoribus inhærere, periculoſum & invidiæ plenum.

(a) 3 *Reg. c.* 3. *fine.*

Audiendi plures & si fieri potest, ipsimet audiendi, non per aliorum relatus. Multum rei & veritatis perditur, cùm res per duorum aut trium ora volvitur. En Salomon duorum regnorum Rex potentissimus velut otiosus scriba meretrices duas benigne audit de infantulo litigantes. Seponenda est subinde negotiorum moles, & jus ab ipso principe dicendum, (a) ne quid detrimenti patiatur justitia, cujus jam documenta subjungemus.

(a) *V. Lips. Polit. Mon.*

§. II.

I. *Princeps adiri sit facilis, audientia benigna.* Certè partes audiri cupientes sunt audiendæ, & sæpe, si res poscat, ab ipso principe. Hæc enim justitiæ prima pars dare locum dicturo, imo animare timidum: Effare, dic, aut scripto caussam tuam age. Vociferatur contra eos Isaias qui supplices libellos supprimunt ne emergant, qui pauperum querelas tenebris damnant, ne in lucem veniant: Sunt lamentationes vanæ, inquiunt, pyramides chartaceas inde faciamus, scombros aut thus vestiamus. *(a)* Sic suas ipsi aures obturant, & aliorum aperiri volunt. Pupillo non judicant, & caussa viduæ non ingreditur ad illos. *(b)* Videte mihi vos magni nimis & alti homines Salomonem pæne triplici diademate redimitum: caussa mulierculārum

(a) Wöllen Scarnützel drauß machen / oder ins Feuster stecken / oder in die lang Truhen legen.

(b) *Isai. c. 1. v. 23.*

rum duarum ad eum ingressa est,nec se illis judicem negavit, nec auditus est dicere: Num me tribunum mendicorū censetis?(a) num utramque mihi aurem clamoribus vestris impleri patiar? Num inanium rixarum arbiter rex erit? Altius est meum tribunal, quàm ut querimonias vestras examinet.Ite ad meos,erunt qui vobis respondeant.Non ista Salomon, tantò justior,quanto adiri facilior;in rem præsentem ipse venit,ipse audiit,ipse judicavit. Nimirum aurei dies illi redierunt, & desiderati sæculi mores,quos Isaias promittens:Restituam,inquit,judices tuos, ut fuerunt priùs,& consiliarios tuos, sicut fuerunt antiquitus. Poc hæc vocaberis civitas justi,urbs fidelis. Sion in judicio redimetur,& reducent eam in justitiâ.(b)Factum Salomonis ævo. Hinc illud encomii: Iustitia habitavit in eâ. Iudex in justitiam pronus,non aliò partes amandat,adiri facilis,humanus,obvius,benignus est;omnium querelas excipit, omnium caussas discutit: non extendit lites, non prolongat controversias,non in centū annos sententiā differt.

In regionibus thuriferis inter Sabæos moris fuit,teste Athenæo,ut pro lege regis voluntas adoraretur. At rex plerunque ignavissimus inter thermas & viridaria vacabat voluptati & otio, judices tamen constituebat,qui suo loco jus dicerent.Si quis tamen censuisset judices male judicasse, in supremum se palatium conferebat. Hic grandior erat fenestra, cui appensa catena,quâ attra-

(a) Halt jhr mich für ein Bettolrichter.
(b) *Isai.c. 1. v. 26. & seqq.*

ctâ pandebatur fenestra. Quod ubi rex re-sciisset, hominem accersens, auditis utrinque partibus jus dixit.

Erudite quærit Iustus Lipsius in politicis, utrum deceat aut expediat ipsum regem jus dicere? Et primo quidem loco argumentis adversariis respondet. Nam audias passim objici: Id fieri non posse, nec si posset, hoc moris esse, non deesse pro eis constitutos judices diversorum tribunalium, disertissimas patere curias, eò magnam litium partem devolvendam, infinitum esse negotium regi non sustinendum. His nobilissimus quem dixi, Politices doctor: Contra morem, inquit, non luctabor: sed dicite vos, quam ille mos vetustus? Hoc ipso quo vivimus sæculo inductus est: adeò nil prisci habet. Denique, Concludimus, ait, & moderamur: Regem decore & utiliter jus dicturum, sed aliquando, vel certis temporibus, ut id sciri possit; vel in caussis gravibus; vel denique contra potentes aliquos & partibus graves. (a) In eam rem Carolus Magnus Imperator maximus hanc promulgari legem voluit: Hoc missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni hebdomadâ unum diem ad caussas audiendas sedere volumus, sed tantùm in caussis, de quibus missi justitiam eis facere nolunt. Ergo etiam Imperatores juridicundo sese non subtraxerunt.

Illud autem miserum est, si q tenuiorum aliter caussam suam agere nequeat, aut nullum illius exitum invenire possit, nisi prius

(a) *Lips. l. 2. Monit. polit. c. 9.*

prius catenam trahat argenteam, philippeis pugnet, aureis triumphet; alioquin aut non auditur, aut in annos centum caussa illius protrahitur. O curias & aulas! ô prætoria! ô senacula & tablina non spiritu sancto sed philargyriâ plena, in quibus numi potentius perorant quàm ulli Hortensii, Demosthenes, Tullii! Nil sanctum est, ubi vænalis justitia est.

Clamat è cælo Sapientia: Audite reges & intelligite, discite judices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & cito apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. *(a)*

Philippus Macedo more tunc recepto jus dixit sæpius. Erat autem in viâ festinans, cum eum mulier appellavit judicem de re sua. Cui Rex hoc unum: Non vacat jam. Illa audacter: Noli igitur regnare. Perinde si diceret: Regium munus est, tuum est, audire & judicare. Admisit, & mox audiit, & si quis alius voluisset audiri, autem reperisset benevolam. Plurimum cavetur injustitiæ, si saltem sciatur à summo magistratu, inferiores judices officium suum facere. Augustus Imperator, Tranquillo teste,

 jus

(a) *Sap. c. 6. v. 3. & seqq.*

jus dixit assidue, & in noctem nonnunquam. Salomon rex opulentiâ & sapientiâ summus, duas tamen mulierculas ad tribunal audiit jurgantes, & sententiam tulit omnibus post sæculis laudandam. Præbete aures vos qui continetis multitudines. Iethro sacerdos socer Mosis generum suum officii commonefaciens: Provide, inquit, viros timentes Deum, in quibus sit veritas, qui oderint avaritiam, & qui judicent populum omni tempore. (a) Documentum ergo primum justitiæ, audientia benigna.

(a) *Exod. c. 18. v. 21.*

§. III.

II. *Cognitio caussæ penitissima.* Salomon suum litigio impetum non ititit; testes nulli, probatio vix ulla, clamores absoni. Vbi autem caussam probe cognovit, gladium petiit, sententiam tulit. Iustitia diligentiam poscit accuratissimam: nam levi sæpe additiuncula, aut detractiuncula invertitur tota caussa, & subinde in proponenda causâ caussæ salus omnis vertitur aut interitus. Ideo cum res scripto tradita, ab uno aliquo verbis est referenda, singularis requiritur industria: (a) Relator sit intelligentissimus, memoriæ tenacissimæ, fidissimus, affectuum expers, medius & neutrius partis, qui caussam quamcunque alienam referat ut suam. Negligenter, perfunctoriè, oscitanter, incuriosè, segniter agere, nusquam laudem meretur; in rebus justitiæ vitium est intolerabile. Cum characteres Hebræi pinguntur, aut

(a) Der im Rath referirt.

aut typis exprimuntur, diligentia ingenti opus est; nam punctulum unicum mutat verbum aut sensum totum: ita prorsus in rebus justitiæ, levis neglectus, omissio non grandis potest è caussa bonâ malam, è mala bonam reddere. Hussæus Princeps Iobus justitiæ amantissimus de seipso: *Iustitia, inquit, indutus sum, & vestivi me sicut vestimento, & diademate judicio meo.* Et rex fuit Iobus & judex sui populi, sibique honori duxit merito, apud suum tribunal justitiam inveniri. Idcirco adjungit dictis prioribus: *Et caussam quam nesciebam, diligentissime investigabam,* (a) ut ad veritatis fundum penetrarem. Hoc ipsum Deus velut exemplo monstrans docuit. Nam protoplastum inobedientem, & Babylonicæ molis structores, & Sodomææ turpitudinis reos puniturus, etsi sapientissimus Deus, rerum omnium gnarus, ipsarum cogitationum arbiter, nihilominus: *Descendam, inquit, & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint; an nō est ita, ut sciā.* (b) Vult Deus non è solo rumore aut relatu ferre sententiam, sed ulterius progredi indagatione ac inventione veri. Satis ohe est in judice tolerare ignorantiam, si accedat insuper ignavia, oscitantia, incuria, suo se calculo damnabit, ferulam decretoriam in seipsum stringet. *Potentes potenter tormenta patientur: fortioribus fortior instat cruciatio. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei; ut discatis sapientiam, & non excidatis.*

(a) *Iob. c. 29. v. 14. & 16.*
(b) *Gen. c. 18. v. 19.*

tis. Qui enim custodierint justitiam, juste judicabuntur, & qui didicerint justa, invenient quid respondeant.(a) Contra illos autem stabit spiritus virtutis, & tanquam turbo venti dividet illos, qui non recte judicarunt, nec custodierunt legem justitiæ (ignorantes & ignavi) neque secundum voluntatem Dei ambularunt.

Vnde in curiis & tribunalibus tot revisiones & relectiones, tot appellationes & provocationes, nisi ab ignorantiâ & ignaviâ quæ non illam Iobi legem sed hanc suam servarunt: Et caussam quam nesciebam, negligentissime investigabam. Si inspectio rei prima esset accurata & seria, quid opus alterâ? Philippus Macedo magnæ virtutis rex, ni suam ipse laudem corrupisset, justitiæ tenacissimus, acerbiora in se dicta potuit digerere. Cum apud eum Machetas miles caussam diceret, nisus est rex non attendere & inde contra jus fas caussam abjudicare militi. Hic Machetas militari & Macedonicâ libertate: Apello, inquit, Tu à rege? & ad quem? Ad ipsum te, ait miles, sed vigilantem & attentum. Alii volunt dixisse: Ad Philippum Sobrium. Quis hoc imi subsellii viro, judicum postremissimo ausit objectare, quod iste Regi? Incuriam aut vinolentiam objecit. Rex Philippus ad hanc provocationem evigilans: Dic, ait, dic enimverò quid habes dicere? Dixit denuo miles, rex audiit & comperit injuriam factam Machetæ, ita tamen ut mulctam è suo dederit.

Hic grandi ac singulari opus est industria,

(a) *Sap. c. 6. v. 10. & 11.*

ſtria, nihilominus errores non deerunt: ſin etiam abſit induſtria, inanes erunt tituli, formoſa frons erit juſtitiæ, à tergo fraudis & injuriæ hærebunt. In pharmacopoliis innumera vaſa, pyxides, ollæ, ſubſcudes, ſcyphi è ligno, è teſta, è ſtanno, è marmore, è vitro: His omnibus ſuæ ſunt ſchedæ, quas ſpecioſâ fronte præferunt: hic ſaccarum roſatum, ibi Rhabarbarum, illic flores & tinctura violarum, iſtic Manna, Tuſſilago, Caſſia &c. nota pharmacopæis nomina. Sed aperi obſecro, unam harum pyxidum; præter inanias & araneas nihil reperies; venuſtum caput ſed ſine cerebro; formoſum corpus, ſed ſine animo: Ita plane ſæpius non immerito interroges: Quis iſte, quæſo, dominus? Reſpondebunt: Promotor Iuris, Conſiliarius principis, Prætor Vrbis, Aſſeſſor Cameræ, Adminiſtrator juſtitiæ. Eho, ſpecioſæ ſchedæ, pyxides venuſtæ, veneranda nomina, & pulchra vaſa. Aperi, inſpice, & in iis nec conſcientiam, nec ſcientiam, nec diligentiam invenies. O teſtas Samias & pulchras, ſed vacuas: Iuſtitiæ larvas, non effigies veras! Audite ergo reges & intelligite, diſcite judices finium terræ: penitiſſima cognitio cauſſæ, officium eſt Iuſtitiæ.

§. IV.

IV. *Affectuum ſepultura.* Lipſius effigiem juſtitiæ, ſub oculos daturus: Iuſtitia eſt virtus, inquit, jus & æquum in ſe inque aliis firmiter ſervans. Brevius dixerim: Iuſtitia eſt affectuum ſepultura. Vbi affectus regnat, ibi Iuſtitia exulat. Si trutinæ lanx

una

una oneratior ſit altera, non dicam plus ſe-libra una , ſed vel unico lapillo, æquilibris ſtare trutina non poteſt ; ita plane in unam magis partem propendeat ad opulentos, ad familiares , ad cognatos illæſa non poterit conſervari Iuſtitia,quæ in ſe inque aliis jus & æquum firmiter ſervat. Salomon juſtus ubi mulierculæ utriuſque garrulas rixas audiit : Afferatur, inquit, gladius, & dividatur infans. An æquum hoc & juſtum? Minime, Sed elicere voluit rex ſapientiſſimus abditos affectus. Nam altera, Canidia improba ſucclamabat : Dividatur infans , dividatur ; Nec mihi nec tibi ſit. Hinc Salomon penitiſſimam cauſſæ notitiam accepit , hinc ſapientiſſime concluſit : Non poteſt in eâ mente locus eſſe juſtitiæ, ubi tam potenter imperat affectus invidiæ. Optima conſecutio, veriſſimum judicium.

Leo Armenus inter optimates charum ſibi famulum habuit urbis præfectum, non tamen ab affectu ſe cohiberi paſſus eſt quo minus virum principem ſibi gratiſſimum, ſed ſocordiæ deprehenſum puniret. Cum enim Leo è palatii clivo deſcenderet , vir plebejus ſupplici geſtu occurrit & abſque procemio queſtus eſt raptam ſibi uxorem à quodam ſenatorum. Se quidem injuriam expoſuiſſe Præfecto urbis, nihil tamen fieri quod Iuſtitiæ conſentâneum videretur. Mox Imperator juſſit reverſo ſibi ſiſteretur quàm primum accuſator , delatus reus , & urbis Præfectus. Audiit omnes, & ubi reum accuſatum noxæ , urbis Præfectum negligentiæ comperiſſet , iſtum quidem officio & di-

& dignitate omni privavit, senatori reo vitam ademit. Factum bonum & æquum. Audite reges & intelligite, discite judices finium terræ. Ubi tam seria deest animadversio Iustitiæ, quid est vita humana, nisi mera deprædatio, & homicidia? Verissime dixit Augustinus: Remotâ Iustitiâ quid sunt regna nisi magna latrocinia? Profecto in aulis nil æque Iustitiam frangit & imminuit, quàm ingens affectuum malorum varietas. Lanx una trutinæ multò ponderosior alterâ, in partem unam magis vergit quàm in alteram. Plerunque uni parti magis favent judices quàm alteri; tutatur favor Euryalum à numis melius instructum; pronius honoratiori, amplius ditiori cupimus quam sordenti palliolo. Vbi obsecro in tenebris & obductis velis judicatur cum Areopagitis? Quam hic optabilis nox esset, quam multo sanctius oculis careremus? In damnum ac perniciem justitiæ oculati sumus, & partium vestes, censum, dignitates, sæpe cognatum sanguinem, non caussæ æquitatem attendimus. Hinc copiosæ ubique lacrimæ. Humani ac divini juris est, caussam pauperum favorabiliorem habere. Siracides aperte commonefaciens: In judicando, inquit, esto pupillis misericors. (a) Nos contra vociferamur: Opulentis esto benevolus. Ita lanx una libræ nimium quantum vergit, nimium attollitur in altum altera, errore gemino: dum in illos nimis benevoli, in istos rigidi nimis sententiam pronuntiamus. Discite judices terræ,

(a) *Eccli. c. 4. v. 10.*

ræ, amore justitiæ, sequiores affectus sepelire.

CAPVT XIII.

Salomon Iustissimus.

CLaudius Imperator, Suetonio teste, caussam utcunque nebulosam ante se agi audiit: Femina Romana non plebeję sortis recusavit juvenem quempiam agnoscere filium, dubiâ utrimque argumentorum fide. (a) Claudius explorando mulieris animo: Cùm ergo, inquit, non sit tuus filius, nube illi. Cohorruit mulier ad subitum hoc imperium. Ab his indiciis visum est esse filium, quem detrectavit accipere maritum.

Ad Salomonis tribunal litigabant binæ mulierculæ de filio (quod superiori capite pertractatum est) utraque se matrem ajebat, utraque sibi vivum vindicabat filium. Lis intricata videbatur & plena caliginis. Tandem Salomon veram matrem dignovit ex eo, quod ad jussam infantis cædem adeò cohorruerit, alterâ procacissimè clamante: Infantem medium secate; neutra eo fruatur. Hic sapientia Salomonis minimè ambiguam tulit sententiam, illam non posse censeri matrem, quæ oculis tam avidis spectare cuperet filii necem. Vera & æqua sententia. Hinc meritò Salomonem Iustum appellavimus. Paullò majora canamus, & Salomonem Iustissimum sistamus cupido spectatori.

Supe-

(a) *Suet. c. 15.*

Superiori capite triplex Justitiæ documentum assignavimus; I. Audientia facilis & benigna. II. Cognitio caussæ benignissima. III. Affectuum sequiorum sepultura. Pergimus de Justitiâ differere, non quòd conemur omnia ejus arcana in lucem dare, sed ut illa præcipuè sub oculos ponamus quæ ad Salomoneum hoc judicium videntur spectare. Ita jam dictis quadruplex Justitiæ documentum addimus.

§. I.

IV. Justitiæ documentum, *Sagacitas inveniendi veri*. De Salomonis sagacitate Josephus Hebræus: Nisum est inquit, hoc populo insigne argumentum regiæ prudentiæ simul & patientiæ, & ex illâ die non secus quàm divinâ mente prædito obtemperabant. Scribit Polybius (*a*) de Demetrii regis filio Philippo qui vix septimum decimum ætatis annum excesserat, jam tamen in gravibus caussis sententiam dixerat: quâ verò id prudentiâ, quàm maturo animi judicio hoc munus juvenis obierit, silet historicus: silentii hanc addit rationem; historiæ scriptorem decere, firmatas in conciliis sententias principibus tribuere. Ita regius ille juvenis justissimo æquè ac sapientissimo Salomoni nec potum quidem porrexerit, Salomon in veritate vestigandâ tam subtili usus est solertiâ, ut Ambrosius dixerit: Gladio spiritûs latentem feminarum conscientiam penetravit, affectus eliciendo. (*b*) Pręclara & ne-

(a) *Polyb. l. 2. hist.*
(b) *Ambr. l. 3. de S. Spiritu. c. 7.*

cessaria pars Iustitiæ, inveniendi veri sagacitas, quæ placido silentio indagat, quærit, explorat, dum verum inveniat.

V. *Vigilantia & Zelus.* Salomon cum in neutram partem duarum feminarum controversiam vergere videret: Afferte, inquit, mihi gladium. Mi Deus, quid fiet? Non sanguini fundendo, sed affectui eliciendo afferendus est gladius: corda penetrabit & feriet rex æquissimus non corpora. Sic vigilare solet Iustitia, hic illius Zelus est ad ipsam animi medullam, si fieri possit, rimari. Si Iustitiæ Zelus desit, nemo miretur si nec adsit vigilantia: pari plerunque passu gradiuntur. Iosaphatus rex integerrimus præfectos ac judices suos hortatus: Videte, ait, quid faciatis, & cum diligentiâ cuncta facite. Non tantum caussæ cognitionem exactam, sed vigilantiam insuper & Iustitiæ Zelum exigit. Perinde si dicat: Quidquid officit juri dicundo, removendum est arduis conatibus. Vigilate & videte quid faciatis, ut exclusâ diligentia nihil faciatis.

Hanc Vigilantiam & Zelum adumbrant duo judicum insignia, Gladius & Bacillus seu Virga oblonga. Hieremias vates Virgam vigilantem & ollam bullientem vidit. Olla bulliens est provincia vel regnum vitiis exuberans, diabolus ignem subdit, ligna ingerit, flammas flatu impellit. Hîc Iustitiæ virga vigilet, ut ollæ reprimatur ebullitio, ut vitia passim vulgata castigentur & seriò, non puerili ferulâ, non vulpinâ caudâ. Certè perjuria & adulteria præsertim repetita

non

non ſolo marſupio plectenda. Invaleſcet hoc genus lolii, niſi ſint qui illud ſic puniant ut rei ſentiant ſe puniri. De Magiſtratu dixit Paulus: Non ſine cauſsâ gladium portat. (*a*) Publicus hic gladius ſimilis ſit gladio Cherubini cui Deus paradiſi cuſtodelam commiſit, qui & flammeus fuit & verſatilis. Verſatilem dabit Vigilantia, Flammeum Zelus Iuſtitiæ.

Andronicus Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus gladium protavit verè flammeum & verſatilem. Nemini parſum; quiſquis deliquiſſet reus peragebatur. Nobiles juxta & ignobiles: opulentos & egenos palatinam familiam adæquè ac plebem civicam pro delicti ratione puniit criminis convictos. Charum hominem è ſuis habuit Theodorum quendam. Hic apud ruſticanum cauponem cum multis ſuorum diverſatus abiit, & ſymbolam non ſolvit. Res hodieque nec nova nec inſolens. Caupo injuriam ſibi factam in aulà queſtus eſt. Imperator re cognitâ virum ceteroqui chariſſimum fuſte duodecies publicè cædi juſſit, & omne damnum largiter rependi. Hic idẽ Andronicus omnibus præfectis & magiſtratibus ſuis per litteras edixit: Aut injurias aut vitam relinquite; nam vos injuſte agere & vivere, nec Deo gratum, nec mihi ejus miniſtro ferendum eſt. Gladium prorſus manu verſavit & flammeum & verſatilem. Vigilantia in eo & juſtitiæ Zelus vigebant.

VI. *Auditio utriuſque partis, non habita*

I 2 *digni-*

(a) *Rom. c. 13. v. 4.*

dignitatis aut ordinis ratione. Notissimum est illud Senecæ Tragœdi: Qui statuit aliquid parte in auditâ alterâ, æquum licet statuerit, iniquus est. Perinde sicut qui adversus imperium aggreditur hostem, tametsi vincat, contempti tamen imperii reus peragitur: uti Manlii, Posthumii, Epaminondæ filii non jussi purgnarunt & vicerunt, nihilominus vel patrum suorum calculo pœnas luerunt: Ita prorsus qui uni dumtaxat parti præbet aures, tametsi sententiam ferat æquam, iniquus tamen judex est. Alexander Rex Macedo eo corporis habitu audiebat caussas, tanquam aurem alteram obturaret. Rogatus a familiari homine, Cur id faceret? Clausa, inquit, auris servatur reo. Salomon audiendi patientissimus, in illam muliebrem rixam faciles & minimè aversas dedit aures. Procaces quidem feminæ mutuis se dictis configebant. Vociferante unâ, *Mentiris*, Mox eandem altera vocem regerens: *Tu*, inquit, *mentiris improba.* O qualis echo, & qualis caussa sine argumentis, sine testibus! Hanc tamen Salomon Rex molliter audivit. (*a*) Tandem: Dividite, inquit, infantem vivum, & date dimidiam partem uni, dimidiam alteri. Testari possit pars utraque se auditam. Exactissimè videtur Salomon servasse illud divinæ legis. Audite illos, & quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.

(a) Gütlech.

est. (a) Illud attentius perpendendum: Ita parvum audietis ut magnum, adeoque non tantùm nulla sit personarum acceptio, in judicando, sed nec in audiendo.

Aristides cognomine vulgato Iustus accusarat aliquem apud judices, qui accusantis jam notæ auctoritati tantùm tribuebant, ut accusatum nec audire quidem sed indictâ caussâ prolatis mox sententiis prædamnare cogitarent. Aristides in genua procumbens supplex petiit, dignarentur hominem à se accusatum, non minus quàm se, pro legum imperio audire. Ita parvum audietis ut magnum. Idem repetitis vocibus inculcatur crebriùs: Iudicent populum justo judicio. Nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant verba justorum. Iustè, quod justum est persequêtis, ut vivas. (b) Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iustè judica proximo tuo. (c) Nolite judicare secundùm faciem; sed justum judicium judicate. (d) Ita pravum audietis ut magnum.

VII. *Constans patientia, aut patiens constantia.* Hanc Salomon insigniter exhibuit cùm patienter & constanter viles animas rixantes mulierculas & audivit, & jus dixit; Unde & Iustissimus appellari promeruit. Et videte regis æquissimi patientem con-

(a) *Deut. c. 1. v. 16.*
(b) *Ibid. c. 16. v. 18. & seqq.*
(c) *Levit. c. 19. v. 15.*
d) *Ioan. c. 7. v. 24.*

conſtantiam. Cùm enim juſſiſſet diſſecari vivum infantem, inquit Ioſephus, eam ſententiam omnis populus ut nimis puerilem tacitè damnavit. Opinionem populi, ætas Salomonis firmabat, qui viceſimum tertium tunc agebat annum. Ita videri potuit juvenilior ſententia quàm ſapientior. Advertit rex utique hos populi motus, pronunciati nihilominus tenax, gladium afferri, ſtringi, ad ſecandum puerulum vibrari juſſit patientia conſtanti.

Subinde poſt latam ſententiam tergiverſantur partes, & parêre recuſant. Non terreatur Iudex, non cedat, conſtanter pergat, ut è verbis fiant facta. Tunc potiſſimum urgenda ſententia cum liquet quàm ſit juſta, & præſertim cum punienda ſunt vitia. Hîc cedere eſt vinci & cauſſam ſpontè perdere. Iuſtitia eſt magnanima & fortis, & cum ſui certa eſt, neſcit cedere.

Diſcite Iuſtitiam moniti. Conſtantiam amat Iuſtitia, nec vim diſſimulat ubi vi opus eſt. Hæc ergo Salomon Iuſtus Iuſtiſſimus docet, ad Iuſtitiæ integritatem plurimùm facere.

1. Facilem Audientiam.
2. Accuratam cauſſæ Notitiam.
3. Affectuum malignorum ſepulturam.
4. Indagandi veri ſagacitatem.
5. Zelum & Vigilantiam.
6. Auditionem utriuſque partis.
7. Patientem Conſtantiam.

Hęc omnia verbis Ioſaphati regis conſigno, qui præfectis & judicibus ſuis omnibus præcipiens: Videte, inquit, quid faciatis, non

enim

enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. (a) Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum veſtrum iniquitas.

Orbis Iudex ipſos judices ad ſuum tribunal citabit reos.

(a) *Quod tute tibi intrivisti, tibi exedundum erit.*

CAPVT XIV.

Salomon Sapiens.

Diogenes è Stoâ, ratiocinio non abſurdo perſuadere conatus eſt, *Sapientis eſſe omnia.* In rei fundamentum ſumpſit, quod nemo ſapientum negat, *Deorum eſſe omnia.* Ab hoc ſcito hunc ſtruxit ſyllogiſmum: Amicorum ſunt omnia, Sapientes ſunt Deorum amici, Sapientum ergo ſunt omnia. Fuit qui hæc adſtruenti familiariter & per jocum objiceret: Cur igitur ſtipem petis, ſi tua ſunt omnia? Cui prompte Diogenes: Non aliena, inquit, peto, ſed repeto mea.

Hoc veteris philoſophi jocus videri poſſit, ſed ſi Salomonem audiamus, luculentum eſt oraculum. Sapientia tam dives eſt ut qui ſibi eam jungit connubio, in dotem accipiat quidquid uſpiam eſt theſaurorum: Aperte Salomon: Venerunt autem, inquit, mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, &

lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam, quoniam horum omnium mater est. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. (*a*)

Inter tot Salomonis multò illustrissimas dotes & virtutes, omnium velut regina fuit Sapientia, quâ quidem reges omnes & universos mortales spatiis longè maximis antecessit. Atque hinc jure meritissimo *Salomon Sapiens* ab utroque Orbe appellatus est. Hîc magna nobis crescit dicendi seges in ordinem digerenda. Scire refert, quâ ratione sapientiam obtinuerit, num gratis, an verò precibus eam impetrarit, quomodo impetratam conservarit, num illam auxerit, an contra imminuerit. Septem igitur capita hîc nobis pertractanda. 1. Quàm ardentibus votis sapientiam expetierit. 2. Qualénam sacrificium celebrarit ante impetratam sapientiam. 3. Quas tentationes à sapientiæ desiderio avocantes vicerit. 4. Somnium Salomonis, & quomodo ei Deus secundum quietem visus sapientiam impertiverit. 5. Quanti Salomon concessam sibi sapientiam æstimarit. 6. Quibus precibus & lacrimis Sapientiam Salomon efflagitarit, & quàm eæ preces Numini placuerint. 7. Quæ vera Christiana sit sapientia.

(a) *Sap. c. 7. v. 11. & seqq.*

§. I.

I. Desiderium Salomonis æstuantissimum adipiscendæ sapientiæ. Mille produco testes ipsum

ipſum Salomonem, qui de ſeipſo : Propter hoc optavi, ait, & datus eſt mihi ſenſus: & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ; & præpoſui illam regnis & ſedibus,& divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. (a)Miris deſideriis anhelabat ſapientiam,& planè deperibat. Ægrè fert Deus ſuas gratias & favores non deſiderari. Augmentum ſaltem gratiæ jam conceſſæ vult expeti. Eſt enim Sapientia, perinde ut gratia præveniens ſeu prima quam Deus ultro donat etiam immerentibus. Ita Salomon à Deo monitus eſt, ingenti cum deſiderio peteret ſapientiam. Fatetur ipſe : Antecedebat me iſta ſapientia, ipſa mihi fuit auctor ſui amandi. Ita Numen nobis velut infantibus, pulticulam in os inſerit. Ita Salomonem alloquitur æterna ſapientia: Non potes eſſe ſapiens, niſi ſapientiam efflictim cupias. Hoc porro ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum.(b)Vt autem conſtet quantâ Salomon ſapientiæ cupiditate æſtuarit, perpendendæ ſunt illius hæ voces : Circuibam quærens, ut mihi illam aſſumerem : Adii Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis : Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam. (c) En cupidinem ſapientiæ flagrantiſſimam,en aſtum & ſitim divinæ intelligentiæ.

Sciendi ſtudium omnibus innatum. Cur aures arrigimus, cum jucundi quid narratur, nec enim ullus facilè tam ſtipes eſt quin gratis narratiunculis paſcatur? hoc à

(a) *Sap.c.7.v 7.& 8.* (b) *Sap.c.8.v.21.*
(c) *Sap.c.8.v.18.21.& c.9.v.4.*

ſciendi aviditate provenit. Cur toties quærimus, quid novi? quî res geruntur in Hiſpaniis, in Belgio, in Galliis? & quamvis præmoneamur, nil fauſti nuntiari, id tamen ſciendi aviditas expiſcatur. Cur omnis generis hiſtorias etiam fabellas & apologos, vetitas etiam & obſcænas pagellas tam cupide legimus? huc ſciendi aviditas impellit. Cur faſtos & diaria, prædictiones & vaticinia coëmimus? Sciendi aviditate ducimur. Cur in terras alio calentes ſole peregrini excurrimus? aviditas ſciendi evocat. Cur diverſa idiomata partim è libris, partim uſu condiſcimus? Aviditas ſciendi adigit. Cur veteris ævi monetam, epitaphia vetuſta, & quidquid priſcam eruditionem ſapit comportamus? ſcientię cupido adigit. Cur tantis ſumptibus tot annnos in Academiis terimus, cur libros congerimus, legimus, enotamus? diſcendi ſtudium perſuadet. Cur homines conſiliis pollentes & facundos frequentamus? ſcientiæ & ſapientiæ deſiderium inſtigat. Iam maximi refert, quomodo iſtis ad ſcientiam incitamentis utamur. Atque hinc ſeria nobis ad rem quæſtio naſcitur: Cur plurimi à virtutibus tam malè ſunt inſtructi? Rariſſima eſt Humilitas profunda, conſtans Patientia, Charitas ſincera. Vnde hæc virtutum raritas? Non deſideramus illas, quia nec æſtimamus. Nolentibus aut non deſiderantibus, ſua dona Deus non obtrudit, non ingerit. Clamat æterna ſapientia: Concupiſcite ſermones meos, diligite illos, & habebitis diſciplinam. *(a)* Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me,

(a) *Sap. c. 6. v. 12.*

me, & à generationibus meis implemini. (a) Favores divinos desideriis mereri nos vult Deus. Nos ipsos doni pœnitet, si quid alteri donamus, quod aut ingratum, aut non desideratum esse ostendit. Erudite dixit Pythagoras; Sedulo perpendendum est, Sapientiam ab eo non satis æstimari qui eam laboribus detrectat emere. Idem plerunque sapientiæ, quod virtuti evenit: Laudatur, & alget. Salomon tanto copiosiorem impetravit sapientiam, quanto eam ardentius postulavit.

(a) *Eccli. c. 24. v. 26.*

§. I.

II. Sacrificium Salomonis ad impetrandam sapientiam institutum. Numini devotissimus fuit rex iste antequàm nimio feminarum amore preceps ageretur in immane nefas. Nam dilexit Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, & accendebat thymiama. (a) Dilexit certe non solum affectu indolis, sed etiam affectu charitatis. Christus de unctrice femina: Remittuntur ei, inquit, peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit, (b) minus agit quod dilectio præcipit. Verissime dixit Gregorius: Probatio dilectionis, exhibitio est operis. Hinc illæ Ioannis voces: Qui dicit, diligo Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est Ἀγάπη, & charitatem & charitatis offi-

(a) 3 *Reg. c. 3. v. 3.*
(b) *Luc. c. 7. v. 47.*

officium significat. Quo sensu dixit Augustinus : Agapæ nostræ pauperes pascunt. Flaccet amor cùm opus cessat. Ita Salomon dilexit Dominum, non otiosis desideriis, sed divino cultu, victimis, donis, sacrificiis, prout à pientissimo parente fuerat edoctus. Dilexit Dominum, excepto quòd in excelsis immolabat. Notavit hic Salomonem sacer historicus, & immolationes in nemorosis montibus opprobravit. Quàm acres & puros habet oculos Deus, quàm nihil connivet, quàm nihil non punit vel levium labecularum. Salomon vero Deo sacrificavit, sed eo loco qui vero Deo non placuit. In excelsis, seu montibus & lucis facere, religionum aliquid falsarum sapuit. Quamvis omnes omnino reges tam Israëlis quàm Iuda, tribus duntaxat eximiis, hac in re deliquerunt : David, Ezechias & Iosias,(a) non sacrificarunt in excelsis.

Hinc non malè ratiocinamur : Si quis Christiani sanguinis sibimet applaudat, dicátque: Quid opus frequentare templa? Paulus vult viros orare in omni loco. (b) Igitur domi maneo, domi oro. Vtrumque potes facere mi homo, & domi manere, & domi orare. Sed utroque melius facies, si & templum frequentes. Quæ domi comprecantium multitudo ad preces te animabit? quem tu precando incitabis ad idem imitandum? cujus domi exhortatione calesces? Bona oratio in domo, plerunque tamen melior in templo. Sunt talia quàm plurima, quæ momenti

(a) *Eccli. c. 49. v. 5.*
(b) *1. Tim. c. 2. v. 8.*

menti non magni videntur esse, sed tamen labem affricant non observanti. Quid enim refert, dixerit Salomon, in excelsis an in inferioribus locis Deo sacrificẽ? dummodo sacrificem vero Deo? Prisci moris est, in edito id fieri. Sed priscum hunc morem Deus non probavit. Nam licet placuerint sacrificia, locus tamen sacrificiorum displicuit. Plurima sunt talia quæ divinis oculis in se non displicerent, sed ob adjuncta rejiciuntur.

Quocirca Salomon, Præcepit universo Israëli, tribunis & centurionibus, & ducibus, & judicibus omnis Israel, & principibus familiarum, & abiit cum universâ multitudine in excelsum Gabaon. (a) Ascenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo mille hostias. Hoc holocaustum tot victimarum necessarium integrum sibi diem vindicavit: quando enim altare non magnum fuit, & mille victimæ comburendæ, fortassis simul quinquaginta poterant consumi flammis. Ita dies solidus tam opimo sacrificio admetiendus. Vbi tanta inter nos patientia quæ ad cultum divinum toto duret die? Vix semel in anno concionem Parasceves ad duas horulas excurrentem constanti patientiâ toleramus. Multi serò veniunt, plurimi omnino non veniunt. Nulla fames divini Verbi, grandis oscitantia, vel ut rectiùs dicam, perfunctoria, volans, desultoria opera: ad finem properamus, pæne antequam incipiamus: preces percurrimus & raptim deblateramus, & nostro nos

(a) 2. *Par. c.* 1. *v.* 3. & 6.

nos officio insigniter persunctos credimus.

Quid autem Salomon sacrificio tam opulento quæsiit? solam & unicam sapientiam. Et quandoquidem eâ in re tam serius egit, tantósque sumptus impendit, obstaculis & tentationibus non caruit.

§. III.

III. Tentationes ad arcendam sapientiam, & impediendum sacrificium immissæ. Res jam certa. Cùm emendationem vitæ seriam molimur, cùm laudabilem nobismetipsis inferre vim paramus, cum extirpare pravas consuetudines, mox tentationes & impedimenta ordine confuso agminatim irruunt. Idcirco Siracides in antecessum instruens: Fili, ait, accedens ad servitutem Dei, sta in justitiâ & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. *(a)* Salomonem à studio sapientiæ suaviter abducere potuissent tentationes istæ. I. Conjux regina Pharaonis filia, supra humanam dignitatem formosa, multò amplissimè dotata. Vxoris preces, jussa sunt; blandum est charæ conjugis imperium, sed potens & amplum. II. Cura corporis, studium valetudinis, amor vitæ longioris. Atqui minùs vacat corpori, qui propensiùs studet Sapientiæ aut Virtuti. III. Amplificatio paterni imperii. Pusillæ mentis videtur, suis esse finibus contentum. Ampliandi sunt fines & dilatandi. Plus ultra. Marmori aut æri possit inscribi: Pater peperit, Filius auxit. IV. Armorum, victoriarum, triumphorum cura & amor, ut devictis hostibus per Orbem fa-

(a) *Eccli. c. 1. v. 2.*

ma-

ma volet, de Salomone bellicoso & triumphante. V. Illecebrarum & voluptatum affluentia. Rara eſt concordia voluptatibus & Sapientiæ: Indulgere genio, cuticulam curare, inter ſuas curas Sapiens non numerat. VI. Divitiarum vis immenſa. Tentatio ſuggerebat Salomoni: Nunquid ceteris minor vis eſſe regibus? Spartam quam nactus es orna; Regnum duplex quod adeptus es, amplia, opulenta. Orientales & Syri reges ditiſſimi, ſed avari. Tentationes has omnes uno flatu difflans Salomon: Super ſalutem, inquit, & ſpeciem dilexi ſapientiam, & propoſui pro luce habere illam; quoniam inextinguibile eſt lumen illius. *(a)* Perinde ſi dicat: Quid me juvet opulenta & formoſa uxor, ſi ego ſim fatuus? Quid mihi longa vita, ſi curta ſit intelligentia. Oneri eſt ampliſſimum regnum, ſi deſit prudentia quâ gubernetur regnum. Malè fiditur armis, ſi deſint conſilia, quibus protegantur arma. Quid mihi voluptates, quid proſit aurum, ſi una deſit Sapientia? Præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. *(b)* Imò cùm uxor illi proponeretur ducenda: Iſtam, ajebat, ducam, ſed priùs aliam. Quam illam obſecro? Sapientiam. Hanc amavi & exquiſivi eam à juventute meâ, & quæſivi ſponſam mihi eam

(a) *Sap. c. 7. v. 10.*
(b) *Ibid. v. 8. & ſeqq.*

eam assumere; amator factus sum formæ illius. Et si divitiæ appetuntur in vitâ, quid sapientiâ locupletius, quæ operatur omnia. (a) Hoc dixit Salomon anno imperii sui tertio, ætatis vigesimo tertio. Non nescivit Salomon malè auspicatum plerunq; connubium esse, si pueri & puellæ matrimonio jungantur. Immaturæ nuptiæ, matura tædia. Quocirca Salomon: Proposui ergo, inquit, hanc adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædii mei. Habebo propter hanc, claritatem ad turbas, & honorem apud seniores juvenis. Prætereà habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. (b) Hoc argumentorum pondere, his rationum momentis Salomon tametsi juvenis occursantes tentationes facili negotio superavit. Quisquis accedis ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Seriùs aut citiùs senties illas: si vir es, vinces.

(a) *Sap. c. 8. v. 2. & seqq.* (b) *Ibid. v. 9.*

§. IV.

IV. Somnium Salomonis, & imago Dei secundùm quietem oblata. Sic Regum fasti testantur. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis, ut dem tibi. De hoc viso ita sentiendum: Deus Angelorum famulatu eam Salomoni speciem objecit in somno, ut putaverit præsentem à se Deum videri: Ergo in quiete visus est Salomoni Angelus, Deum repræ-

repræsentans, & largissimam petendi gratiam concedens: Postula, inquit, quodvis, ut dem tibi.

Somniosos fieri lepore sumpto in cibis arbitratur Cato. Somnia non omnia ominosa, nec tamen omnia omnino vana. Hippocrates libello de insomniis: Hæc optima sunt, inquit, quæ diurnis actibus non adversantur. Hæc enim sana sunt, propterea quòd anima in diurnis consiliis perseverat.

Somnium propriè peccatum esse non potest, ligatâ tunc ratione, sed quod Thomas Aquinas asserit, effectus & sequela promeriti vel peccati est somnium, prout dies præcedens bonas vel malas cogitationes & imagines efformavit. (a) Ajunt eruditi viri, è somniis non difficulter colligi posse quantum quis in virtutum aut vitiorum scholâ promoverit. Nam qui somniis etiam fœdioribus visis & illicitæ vitiorum suggestioni sese acriter opponit, argumentum bonum & signum non facilè fallax, quod nec vigilans & interdiu impuræ peccatorum dulcedini venerisque tentamentis succubuerit. Indicium hocque hinc sumimus probi habitûs & radicati. Sin autem lasciva & turpia vel aliter flagitiosa somnia in assensum pertrahant dormientem, verosimillimum est eum hominem, nec de die pudicè semper & castè sanctèque vigilasse, sed vitiorum titillationibus succubuisse, pravas in eo consuetudines inolevisse. Hinc sapienter Aristoteles: Virtuosi, ait, nanciscuntur in dormiendo meliora theoremata præ

K aliis

(a) *S. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *a* 5.

aliis non virtuosis. (*a*) Nimirum quæ curis versamus diurnis, ea recurrunt, cùm rationem & sensus tenet ligatos sopor. Hinc & Augustinus in Aristotelis sententiam discedens: Propter bonam, inquit, animæ affectionem, quædam ejus merita etiam in somnis clarent. (*b*)

Ita & de Salomone ratiocinandum. Salomon non promeruit sapientiam iis precibus quas in somno fudit, sed somnium hoc signum fuit ardentis desiderii quo regius juvenis cùm vigilaret, in sapientiam æstuabat. Hinc sequitur, Tanti Salomon faciebat sapientiam.

(a) *Arist. l.* 1. *Ethic. c. ult.*

(b) *Aug. tomo* 3. *l.* 12. *super Gen. ad lit. c.* 15.

§. V.

V. Æstimatio sapientiæ. Tam ingenti ejus cupiditate inflammabatur, ut libero corde ac sincero dixerit: Præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Et ut sciret Orbis, non temerè hoc dictum, immensas sapientiæ opes, & inæstimabilia illius bona ingreditur enarrare: Melior est sapientia quàm vires; & vir prudens quàm fortis. Clara est & quæ nunquam marcescit sapientia, & facilè videtur ab his qui diligũt eam, & invenitur ab his qui quærunt illã. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inveniet. Cogitare ergo de illâ, sensus est consummatus, & qui vigilaverit propter illam, citò securus

ſecurus erit. Concupiſcentia itaque ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini ſedibus, & ſceptris, ô reges populi, diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis. Diligite lumen ſapientiæ omnes qui præeſtis populis. Multitudo ſapientium, ſanitas eſt Orbis terrarum: & rex ſapiens ſtabilimentum populi. Deus ſapientiæ dux eſt, & ſapientium emendator. Et cùm ſapientia ſit una, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & prophetas conſtituit. Neminem enim diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientiâ inhabitat. Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata invenitur prior. Illi enim ſuccedit nox, ſapientiam autem non vincit malitia. Quis horum quæ ſunt, magis quàm illa eſt artifex? Et ſi juſtitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes: ſobrietatem enim & prudentiam docet, & juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vitâ hominibus. Propoſui ergo hanc adducere mihi ad convivendum. In conſpectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me. Tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent. Diſponam populos & nationes mihi erunt ſubditæ. Timebunt me audientes reges horrendi, in multitudine videbor bonus, & in bello fortis. Intrans in domum meam, conquieſcam cum illâ: non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium

convictus illius, sed lætitiam & gaudium. Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo, quoniam immortalitas est in cogitatione sapientiæ, & in amicitiâ illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honestas sine defectione. (a)

Tam abundans Salomon in elogiis Sapientiæ, thesauris eam universis prætulit longissimè. Imò illam ita deperibat ardenter, ut fateatur ingenuè: Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitarémque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum. (b) Tanti æstimavit unam atque unicam Sapientiam.

Nos plurimas à Deo dotes non accipimus, quia illas non æstimamus. Daret Deus continentiam: Non æstimamus. Daret Deus sapientiam: Argentum & opes malumus. Daret Deus magnanimitatem Iustitiæ: Non desideramus. Daret prudentiam: Formam ei & vires anteponimus. Daret sospitatem Abstinentiæ: Nihili eam facimus. Daret Castitatis victorias: Non affectamus. Daret Deus sui amorem: Non avidè illum expetimus. Hinc Deus & ista non dat, & aufert data. Nimirum pessimi rerum æstimatores sumus, trium philippeorum merces sestertiis tribus aut duobus vendimus. Ita nos divinis muneribus indignos reddimus, quando ea tam vili pendimus. Et tot centenis millibus Hebræi populi, non nisi duo capita

(a) *Sap. cap. 6. 7. & 8. conjunctis, versibus disjunctis.*

(b) *Eccles. cap. 2. vers. 3.*

capita in illas regiones uberrimas penetrarunt, quia pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Ambiri vult Deus sua munera, & ardentibus desideriis expeti. Nausea & fastidium donis è cælo non honorantur. Profectò sapientia invenitur ab his qui quærunt illam; præoccupat, qui se concupiscunt. (a)

(a) *Sap. cap. 6. vers. 14.*

CAPUT XV.

Salomon Sapientissimus.

ALphonsus Aragonum Rex gemma Regum, Panormitano teste, familiariùs à suorum quopiam interrogatus: Quomodo tot opulentiis inundans posset esse pauper? Huic sapienter rex respondit: Si sapientia venderetur. Siquidem tam intensum est pretium sapientiæ, ut si ea peræquè ut aromata, vænalis esset, nec regiæ quidem opes sufficerent illi emendę. (a) Salomon iis in Sapientiam amoribus exarsit, ut si potestas ei optióque fuisset facta, vel regni vel sapientiæ jacturam facere, deliberationem habuisset non difficilem: Indubiè regnum maluisset perdere quàm sapientiam. Illam namque regnis & sedibus præposuit, & in comparatione illius divitias nihil esse duxit.

Contingit non rarò ut laudetur quis ab omnigenis animi corporisque dotibus, dicatur-

(a) *Panorm. in proam. lib. tertii de rebus gestis Alph.*

caturque : Est sanus, vegetus, formosus, opulentus, nobilis, eruditus, valens gratiâ, pollens consiliis, honoribus abundans, nihil ei videtur ad felicitatem solidam deesse. Sed quid tum posteà? Hæc omnia exsufflans Salomon : Et si quis erit consummatus, inquit, inter filios hominum, si ab illo abfuerit Sapientia tua, in nihilum computabitur. (a) Sit licet hominum robustissimus, formosissimus, ditissimus, nobilissimus, doctissimus, si sapientiâ, quæ à Deo est, careat, homulus vilis, nullus erit, in nihilum computabitur. Tanti vænit sapientia, tam inæstimabile illius pretium. Idcirco Salomon sapientiæ desiderio inardescens, sumptuosissimis eam sacrificiis ambiit, quidquid impeditionis aut tentationis objiciebatur rejecit, ipsam somniavit sapientiam. Verè *Sapiens Salomon*, quod capite superiroi executi sumus : isto *Salomonem Sapientissimum* ante oculos posituri. Dicendum ergo quantis precibus & lacrimis sapientiam Salomon à Deo efflagitarit, & quàm eæ preces Numini placuerint. Et quæ demum vera & Christiana sit Sapientia.

(a) *Sap. c. 9. v. 6.*

§. I.

Preces quas Salomon impetrandæ sapientiæ fudit, & ardentes fuerunt & prolixæ. Pars earum ista: Domine Deus, tu regnare fecisti, servum tuũ pro David patre meo. Ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum & introitum meum. Et servus tuus in medio est populi quem elegisti, populi

puli infiniti, qui numerari & supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum. Da mihi sapientiam & intelligentiam, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo. Quis enim potest hunc populum tuum digné, qui tam grandis est, judicare, quia tam innumerabilis est quàm pulvis terræ. (a) Da mihi sapientiam & intelligentiam.

1. Quàm hoc fervidè flagitavit! Deprecatus sum illum, inquit, & dixi ex totis præcordiis meis. Fieri non potest, ut ejuscemodi preces remittantur vacuæ & inanes. 2. Quàm modeste! Non petiit omnigenam sapientiam quæ divina pariter & humana nosset omnia. Elationis aliquid & curiositatis fuisset mixtum. Eam ergo sapientiam solùm petiit, quæ regi, regióque muneri esset congrua. Placere Deo non potest, cùm conditionis nostrę metas transilimus, & petimus nobis non profutura. Petiit ergo Salomon solam gubernandi sapientiam. Sed longè ampliora quàm petiit, impetravit. 3. Quantâ fiduciâ! Dabis, inquit, servo tuo cor docile. Non hæret, non diffidit, non dubitat, quin impetraturus sit quod à Domino peteret tam liberali & benigno. 4. Quantâ submissione! Puer sum, inquit, parvulus, ad tam immensum regimen parum idoneus, ignorans egressum & introitum meum; aliorum sensus quî penetrem, cùm meipsum non norim? Quantis desideriis, quantâ constantiâ!

(a) 3. *Reg. c.* 3. *v.* 7. *& seqq.* 2. *Para. c.* 1. *v.* 10. *& seqq.*

ſtantiâ! Non ſine lacrimis, omni ſtudio ſapientiæ donum poſtulavit: Vti ſolent infantes qui rei cupitæ deſiderio plorant: Manus meas extendi in altum, inquit, & in ſapientiâ ejus luxit anima mea, & ignorantias meas illuminavit. (*a*) Tunc demum plenas manus ſolvit liberaliſſimus Deus, cùm dona ejus tanto ardore, tantâ modeſtiâ & fiduciâ, tantâ ſubmiſſione ac conſtantiâ petuntur.

Lectiſſima hæc Salomonis poſtulata (*b*) tantopere placuerunt Deo ut centies majora & plura dederit poſtulatis. Quod Regum faſti hoc modo narrant: Placuit ergo ſermo coram Domino, quòd Salomon poſtulaſſet hujuſcemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum judicium. Ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc quæ non poſtulaſti do tibi, divitias ſcilicet & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tui, in regibus, cunctis retro diebus. Si autem ambulaveris in viis meis, & cuſtodieris præcepta mea, & mandata mea, ſicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos. (*c*)

(a) *Eccli. c. 51. v. 26.*

(b) Geschmeidigs und glimpfflichs begehrn.

(c) *3. Reg. c. 3. v. 10. & ſeqq. 2. Par. c. 1. v. 11. & ſeqq.*

§. II.

§. II.

1. Non petiit Salomon productiorem vitam, quod plerunque votorum nostrorum primum est, *diu vivere.* Sic natura nos instruit, non tantùm boni quid petere, sed ut eo etiam quàm diutissimè liceat frui. Hinc beatitudo cælestis etsi mare sit voluptatis, si ea tamen dumtaxat centum millibus annorum duret, dicenda merces maxima, sed imperfecta. Nam etsi hæc nostros labores universos & dolores longissimè excedat, quia tamen gaudiis finem jungeret, percepta jam gaudia imposito fine veluti corrumperet. Æternitas voluptatis perfectionem continet. Sic vitæ bono frui cupimus ut æternitate aliquâ, sed ea est brevissima. Plerumque quò vita longior hoc gratior. Sed istud Salomon non petiit, Deus autem promisit, sed sub eâ conditione: Si ambulaveris in viis meis, sicut pater tuus. Ita parentes liberis promittunt: dabimus, hac tamen lege: conditione neglectâ promissio fit nulla. Ipse Salomon hanc legem adstruens: Timor Domini, ait, apponet dies, & anni impiorum breviabuntur.*(a)*

2. Non petiit opes, etsi eæ videantur necessariæ ad Magnificentiam & liberalitatem exercendam, ad gerenda bella, ad vincendos hostes. Hîc nullam Deus Salomoni legem posuit. Divitias ut vile auctarium adjiciens: Sed & hæc, inquit, quæ non postulasti, do tibi, divitias & substantiam. Numos Deus non inter potiora sua numerat beneficia,

 alio-

(a) *Prov. c. 10. v. 27.*

alioquin eos improbis & ingratis non daret. Opes,donarium miſſile ac vile; merum additamentum.

3, Non petiit gloriam, aut celeberrimum per Orbem nomen, Auguſtino gloria eſt clara cum laude notitia: hæc apud plurimos tanti eſt pretii, ut ea vel contra numos & ipſam quandoque vitam ſit chara. Omnis vita ſine hac odioſa & acerba eſt. Vide viros nobiles,dynaſtas,principes,acerrimè de gloriâ certantes. Æſtus gloriæ non paucos eò abripit, ut animi ſalutem prodigant, & cælum ſúſque déque habeant; res omnes, Deum ipſum gloriâ poſteriorem ducant. Inſania luculentiſſima. Sapientiam Salomon tanti æſtimavit,ut eam primam & ſummam haberet, res alias omnino omnes poſteirores poneret,ut opream daret ſapientiæ.Fumos alia & fungos, ventuli auram & cadaveris umbram putavit. Gloriam certè rem regibus multò pretioſiſſimam nec verbulo poſtulavit. Quod adeò placuit Deo, ut iſtam regis modeſtiam ſummè commendaret, & ideo etiam, tam opes quàm gloriam nullis conditionibus adſtrictam donans: Divitias,inquit, & ſubſtantiam, & gloriam dabo tibi (hæc inter abjicienda numero) ita ut nullus in regibus,nec ante te,néc poſt te fuerit ſimilis tui. (*a*)

4. Non animas inimicorum aut vindictam petiit. Hoc tamen plurimis princeps fuiſſet poſtulatum: quò enim plus amant vitam, eò ardentiùs querumt vindictam. Multis ſuaviſſimum injurias perſequi, ex ini-

(a) *2. Par. c. 1. v. 12.*

inimicis ultionem petere, hostem calcare, imò tam appetentes sumus ultionis ut nonnunquam homo pauperculus, cui vix mucidi panis est satis, tres quatuórve florenos alicunde numeret, modò quem odit probè contundat; hoc ei mel & septimæ decoctionis saccarum. Sunt qui vel minimos contemptus ulciscuntur acerrimè; neminem ferunt, qui sibi quidquam contradicat, quidquid resistit, pessundare conantur. Longè alterius animi ac sensus Salomon, qui sapere potiùs quàm vindicare voluit.

§. III.

Videte Christiani quàm dives & liberalis sit Deus noster! Solam poscit sapientiam Rex Salomon: Deus & illam non negavit, & plura insuper adjecit, divitias, urbes, provincias, magnificentiam, amplitudinem, majestatem, & longam vitam: hoc tamen ultimum sub eâ conditione, siquidem se gesserit uti pater rex David. Cur verò Deus Salomoni non etiam dedit inimicorum animas? Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. (a) Si hoc petiisset Salomon, omni gratiâ excidisset.

Adolescens scholasticus & pauper, qui famem oculis confitetur, qui depexum & defloccatum habet pallium, libellos pervetustos paginis jam fluentibus, hospitium miserrimum, fortassis brevî renuntiandum. Hunc dominorum aliquis affatus: Dic, ait, ô adolescens, quid tibi deest? pete. At ille verecundè: Mi domine, inquit, nec oleum mihi

(a) *Rom. c. 12. v. 29. Hebr. c. 10. v. 33.*

mihi est, nec sevum, nec candelæ, ut ad lucernam Musis operer. En quàm modesta petitio! Non vestes, non mensam, non libros, non hospitium nec alia petit necessaria, sed lumen studiis nocturnis pernecessarium. Quando sol non servit, nec Luna Musis sufficit; Lumen, inquit, peto. Dominus, si sapiat, & saxum non sit, sine sensu, sine miseratione, exporriget frontem dicétque: Bono animo sis, mi adolescens, ego te vestiam, novam tibi Grammaticam, quotidie panis aliquid, & jusculi vel oleris è mea domo accipies; candelæ, faxo, ne desint: tu modò sis industrius, & alacriter in studiis perge. Ita Deus in Salomonem se gessit, si minimis liceat conferre tam grandia. Solùm Rex Salomon lumen petivit, unicam desideravit Sapientiam. Dedit hanc Deus, sed & opes adjecit, & pallium amplissimum, pæne triplex regnum ad orientis & obeuntis solis terminos, novam illi Grammaticam, nomen per Orbem celebratissimum concessit. Lumen sapientiæ non defuit. Quàm liberalis Deus!

Videte unà etiam Christiani, non tantùm quid petierit Salomon, sed quo modo, quàm ferventer, quā modestè ac submissè, quàm constanter rem unam petierit, sed & quid non petierit videte. Nos sæpius nostris votis gravissimè impingimus. Si nobis ea detur potestas optioque: Postula quod vis, ut dem tibi. Nos continuò in effusas preces rueremus: O domine, da valetudinem bonam, & vitam longam. Alius, ô bone domine, pecuniam modò des, pecuniam, de

ceteris

ceteris tibi molestus non ero. Alius: O domine, quid mihi cum pecuniâ, si ab omnibus contemptus jaceam, aliorum pedibus terar: minue numos, & auge honores, da gloriam. Alius: domine exercituum, me magna obtrectatorum, invidorum & æmulorum multitudo exagitat, eorum sermones & mendacia plurimùm meis luminibus obstruunt: sine domine, sine ut ulciscar me probè; da mihi animas inimicorum, cetera tolle tibi.

Quid porrò tu, mi Christiane, quid petis? Postula quod vis. Hîc ego valde vereor, ne tua nimiùm festinent vota, & rem tibi poscant noxiam. Malè metuo, ne aut rem corporis, aut fortunarum, aut inanem auram, aut præproperam vindictam in tuum ipse tibi exitium poscas. Obsecro si petere vis, quod Deo placeat, ut prudens, petito, pete tibi sapientiam, rem unam omnium utilissimam & pernecessariam. Nam etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit Sapientia, in nihilum computabitur. Enimverò cùm toties jam facta sit mentio sapientiæ, quid quæso est sapientia,

Quæstio hæc agitatissima est plusquam illa Pilati: Quid est veritas? Quid Sapientia sit, inter veteres philosophos, & priscos Patres, & nostros Theologos quæsitum est. Inter codices sacros librorum uni nomen est, *Sapientia.* Nos ad quæstionem hanc, è naturæ lumine, è Doctoribus sacris, & divinis oraculis respondebimus. Quod lumen naturæ attinet ex omni philosophorum numero Alpharabium sisto, qui breviter & erudi-

tè:

rè: Sapientia, inquit, est scientia sempiternorum. Nec ferè meliùs potuisset, nec breviùs. E Patrum senatu, Theologiæ solem, Thomam Aquinatem adduco. Hic ad quæstionem: Qui cognoscit caussam altissimam, inquit, quæ est Deus, dicitur sapiens simpliciter. (a) E divinis oraculis librum sapientiæ pando, qui disertè: Quid autem sapientia, & quemadmodum facta sit, referam. Demum quæstionem explicans: Sensum autem tuum, inquit, quis sciet? Nisi tu dederis sapientiam, & miserit spiritum tuum sanctum de Altissimis. Ergo sapientia & spiritus de Altissimis, est cognitio caussæ altissimæ, est scientia sempiternorum. En ipsam tibi effigiem sapientiæ sub aspectum collocamus.

Hæc Christiana sapientia non speculativa (liceat sic loqui) sed practica est, exercitationem virtutis non contemplationem attendit. Hebræus rex David ita regnum suum administravit, ut divinus spiritus hanc ei laudem sit impertitus: Pavit eos in innocentiâ cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit illos. (a) Quid hoc verbi est? Num manus habent intellectum? Num & illæ rationis sedes, quemadmodum caput? (b)

Oculi profectò sicut nonnumquam oculati sunt, ita etiam aliquando intelligentes. Quod eadem sacra carmina confirmant: Intellectus bonus omnibus facientibus eum.

(a) *Psal. 77. ver. 72.*

(b) *Plauto: Tum oculatæ sunt manus nostræ cum argentum vident.*

eum. (*a*)Non dicendus est perspicaci prædi-tus intelligentiâ, qui properatis artificiis opimas scit opes cogere, qui jus civile ac canonicum memoriâ complexus, qui diversorum idiomatum insigniter peritus, aulicâ industriâ favores principum in se derivare potest. Non istis Sapientia eget artibus. Quibus ergo? Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Qui facit, quod sibi faciendum novit, hic sane pollet intelligentiâ, etsi alphabetum nesciat. Sapientia Christiana practica est: In manibus & in actionibus statuit intellectum.

Quid enim, Christiani, post annos pauculos juvabit, sublimia subtilissimè speculatum, de rebus magnis facundissimè locutum, si desit in manibus scientia sempiternorum? Aureum illud monitum non ignoramus: Melius est habere cordis compunctionem, quàm scire ejus definitionem. Sint nobis, licet, valetudo, vires, forma, ingenium, eruditio, prosapia, opulentia, quid hæc omnia prodesse poterunt, si desit sapientia? Sæpius repetendum: Etsi quis consummatus fuerit inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia, in nihilum computabitur.

Narravit Augustino Politianus homo palatinus, quâ occasione duo ex aulicâ familiâ, injuriis cæli in religiosam sed paupertinam domũ compulsi, perlectâ illic Antonii vitâ, mox aulæ & Mundo longum dixerint Vale, voluptatibus in omnem vitam abdicatis. Quo audito Augustinus; Quid est hoc, inquit,

(a) *Psal.* 110. *v.* 10.

inquit,surgunt indocti & cælum rapiunt,& nos cum doctrinis nostris, sine corde, ecce ubi volutamur in carne & sanguine? (a) Nonnunquam omnia nobis videmur habere, quia verò scientia sempiternorum practica deest, reverà nihil habemus.

Thales astrologus observabat de cælo, stellas contemplatus, & incidit in foveam. Anus prolapsum cernens: Melius, inquit,fuisset respicere semitam quàm sidera. Nos contrarium facimus, & ut imperiti nautæ, mare respicimus solùm, cùm respiciendum esset cælum. Nos existimationem nostram attentissimè tuemur; melius esset suspirare diadema speciei: nos rationes ponimus cum fortunis nostris, & pecuniam avidissimè sectamur; melius esset appetere regnum decoris nunquam finiendum: nos in rebus omnibus hoc unice spectamus, ne quid cuticulam cædat, ne quid genium offendat,nam mirè industrii sumus, ut nobis bene sit: novimus quâ parte lateat voluptas quam inhiamus; sed meliùs esset gaudium illud quærere quod nemo tollet à nobis. Sapientia clamat: Apud Dominum est merces eorum (qui verè sapiunt) & cogitatio illorum apud Altissimum.(b) Sit annuus noster census centum millia ducatorum, sit pax in diebus nostris, voluptas & felicitas nos undequaque ambiant: hoc omne in nihilum computabitur, si abfuerit sapientia, seu, scientia sempiternorum. Apostoli verbis hæc consigno. Quæ de sursum est sapientia,

(a) *August. lib. 8. Confess. cap. 8.*
(b) *Sap. cap. 5. vers. 17.*

pientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiæ & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione. Iac. c. 3. vers. 17. Sic sapere est demum vivere.

CAPVT XVI.

Salomon Pius.

TArsensi Paulo pietas ad omnia utilis est. Idcirco suum Timotheum tam strenuè ad eam hortatus: Exerce teipsum, inquit, ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. (a) Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientiâ. (b)

Hebræus Salomon inter tot honorificas appellationes hanc etiam jure suo numerat: *Salomon pius.* Hic titulus meritis illius redditur. Nam non solùm in matrem, sed & in patrem ac Deum eximiam pietatem exhibuit, eâque in re Christum Dominum insigniter repræsentavit. Quod capite hoc exequemur.

(a) 1 *Tim. cap. 4. vers. 7. & 8.*
(b) *Ibid. cap. 6. vers. 6.*

§. I.

I. Bethsabea mater Salomonis venerat quiddam rogatura filium. Filius matris reverentissimus, prono supplicique gestu matrem excepit. Nam, quod Regum fasti te-

ſtantur, *Surrexit rex in occurſum ejus, adoravitque eam.(a)* Inclinatione ſubmiſſiſſimâ & veneratione matrem ſalutavit: Hoc adorare. De hac pietate Philo: Pius, inquit, parentes obſervat, ut Deos quoſdam viſibiles. Quàm fideliter obſervavit Rex Salomon, quod decalogo Deus præcepit: Honora patrem tuum, & matrem, ut ſis longævus ſuper terram. An non extenſiorem vitam promeritus Pietate iſtâ? Promeritus certè, niſi hæc obſequia flagitiis poſterioribus corrupiſſet. Et tamen Deus utcunque multos conceſſit annos. Demetrius Phalereus apud Stobæum illuſtre pietatis documentum inſtillans: Domi parentes, inquit, in viâ omnes, ut quiſq; ſe obtulerit, in ſolitudine teipſum reverere. Non diſſentit ſanè à principis Apoſtoli præcepto: Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate. Aſſurrexit Salomon matri, eámque adoravit. Specimen pietatis illuſtriſſimum.

II. *Poſitúſque eſt thronus matri regis, quæ ſedit ad dexteram ejus.* Submiſſione ac reverentiâ ſummâ matrem excepit, nec tamen magiſtratus ſui decorum neglexit. Nam ubi matrem adeò reverenter ſalutaſſet, in regium ſeſe ſolium recepit, *Et ſedit ſuper thronum ſuum.* Exinde matrem ſedere juſſit: *Poſitúſque eſt thronus matri regis.* Nimirum à ſede regiâ honoratiſſimum matri locum conceſſit. Ita & parenti plurimùm detulit, nec tamen ſe regem oblitus eſt.

Q. Fabius Maximus, jam ſenex ſummæ aucto-

(a) *3 Reg. cap. 2. verſ. 19.*

auctoritatis, uti Valerius narrat, cùm ad filium Consulem legatus aliò mitteretur, equo venit obvius ipsi filio Consuli extra mœnia procedenti. Graviter autem indignatus est vetulus hic legatus, quòd nemo juberet equo se descendere. Observavit filius parentis indignabundos vultus, & continuò per lictorem jussit ex equo desilire. Nihil cunctatus senex, jámque pedes filium salutans: Non ego, inquit, filii imperium tuum contempsi, sed experiri volui an scires Consulem agere. Publica instituta pietate privatâ potiora judico.(*a*) Ita Salomon matrem plurimùm, & tamen se regem esse commeminit.

III. *Pete mater mea, inquit, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Facies petentis avertitur, quando re, quam petit, negatâ dimittitur. Seria petitio valde oculata sit necesse est: nec enim solùm cogitatè perpendendum est quid petatur, sed etiam à quo petatur. Quâ in re Synesius prudenter monens: Noli, ait, ingentia postulare, ne duorum alterum contingat: ut sive obtinueris, molestiam facias; sive non obtinueris, molestiam capias. (*b*) Quòd si liberalis admodum & exporrectæ manûs videatur is esse qui rogatur, non trepidè petendum Symmachus suadens: Pæne, inquit, injuriam facit benignitati qui anxiè petit, quod præstantis natura spontè promittit (*c*) Salomon hortatus est matrem, animosè peteret, verùm,

(a) *Valer. lib. 2. cap. 1.*
(b) *Synes. epist. 64.*
(c) *Symmach. lib. 7. epist. ep. 62. f.*

rùm, petitione cognitâ, negavit quod petebatur. Imago Christi fuit Salomon qui tantâ matrem coluit observantiâ.

§. II.

I. Dei filius hominem induturus, assurrexit è cælesti solio & adversus suam matrem reverentiam longè ampliorem adhibuit, quàm Salomon adversus Bethsabeam. Immensissimus Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia, Deus, inquam, è cælo in terram inclinavit se matri. *Et homo factus est*. Non potuisset Deus profundiùs se incurvare. Submissione hac summâ, tantis matrem honoribus decoravit, ut paranymphus è cælo dixerit: Invenisti gratiam apud Deum. Orbis quidem universus omni gratiâ jam pridem excidit, tu gratiâ plena gratiam repetisti & tibi & humanæ genti, prædicanda per Orbē mater Dei. Deus homini sese inclinavit.

II. Positúsque est thronus matri regis summi. Superioribus adjungens Angelus: Et regni ejus, inquit, non erit finis. Filius tuus, ô mater Dei, regnum occupabit semper duraturum, illius solium vis nulla subruet. Matrum aliæ tametsi reges generent, generant tamen mortales, & infantibus induunt spem regni ruituri: Filii tui regnum immortale, sempiternum. Regnabis mater cum filio: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi.(a)Regnum Salomonis annis duravit quadringentis, usque ad exilium & carceres Babylonicos. His temporum periodis Hebræi

(a) *Hebr. cap.1. vers.8.*

bræa plebs eversa est. At verò imperium filii tui terminis non arctabitur tam angustis: Regni ejus non erit finis.

III. Pete mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem tuam. Salomon ubi matris preces audiit, aliter loqui cœpit, & vocis liberalitatem correxit. At verò Angelus favores non expectatos deferens: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Viator multo sole æstuans, cùm ad opacam arborem declinat, vim solis exit, & umbram habet pro refrigerante potu. Ita Angelus: Tibi ô Virgo, inquit, æterni Patris Potentia erit in umbram, dum spiritus sanctus purissimos filii peragat conceptus.

Iosephus Anchieta nostro ævo inter Brasilos vir sanctus & thaumaturgus, cùm in apertâ naviculâ unà cum socio mirum æstuaret, id umbræ à Deo impetravit, ut purpureæ Indicæ aves, Quaracies ipsi vocant, navim velut Tyrium conopæum obtegerent ad itineris maritimi leucam. *(a)* Vmbra sanè mirabilis sed brevis: illa infinitum mirabilior, & æterna; cæpit in vitâ, durat in cælesti gloriâ. Pete, mater, pete; nihil negaturus est filius.

Ita Salomon reverens in matrem Bethsabæam, Christus Dei filius in Virginem Matrem Mariam.

(a) *Anno 1584. ut in ejus vitâ, mihi p. 357.*

§. III.

Et quî nos divinæ Matris filios geramus? Prisca, tametsi ficta pietas umbram mon-

ſtrabit veræ. Pauſanias narrat quod alii eruditâ poëſi auxerunt.(a) Pithon & Cleobes germani fratres matrem Argiam ad ſacrificium bigis vehentem ab utroque currûs latere ſtiparunt. In viâ equi excuſſis frenis induerunt contumaciam non progrediendi. Hîc juvenes prompti poſitâ ſuperiori veſte, jumentorum vicem ſubeuntes matrem Argiam traxerunt ad fanum. Parens filiis tam piis precata eſt præmium quod illa maximum poſtulare, dii hominibus dare poſſent. Cenatum eſt veſperi non ſine hilaritate: ſana mater, ſani filii; manè reperti ſunt mortui. Suum & divina mater currum habet, ſed eum aureum: radii rotarum argentei. Auro amorem minimè adulterinum, argento cogitationes puras deſignamus. Quiſquis pius, quiſquis filius eſt, hunc matris currum trahit. Et en geminos ſiſto filios ferè pientiſſimos, eâdem terrâ oriundos, Gerardum Pannoniæ præſulem, & Stephanum Pannoniæ regem. Gerardus matris Virginis cultor mirificus, complura in ejus venerationem fieri conſtituit. Ipſe hoc in more poſitum habuit, quantumcunque læſus fuiſſet ab aliquo, ſi is per Chriſti matrem petiiſſet veniam, mox ſuffuſis lacrymis veniam dedit, aut dandam velut reus à lædente ipſe petiit, verè pius & præſul & martyr.

Stephanus Vngariæ rex quotidianis precibus ſe totúmque regnum ſuum commendavit matri Dei, cui in Albâ Regali templum marmore & auro condidit magnificen-

(a) *Cicero etiam in Tuſcul. qq. mentionem fecit.*

centissimum: dies festos Virginis Matris jejuniis prævenit, piis exercitiis transegit, diem Virginis in cælum Assumptæ, diem Dominæ vocavit. Fuit ut optimus rex nocte quadam, singulari miserationis motu prodiret in publicum ignotus, suâ manu turgescentem crumenam effunderet in egenos. Hæc velati regis liberalitas eam mendiculorum aviditatem commovit, ut regem protervæ manus pæne lacerarint, barbam certè vulserint, huc illuc miserè impulerint. Ille sibi gratulatus de tam insolenti misellæ plebis applausu, in ædem Virginis matris properavit, & ante aram procumbens: Ago gratias, ajebat, ô mater beatissima, quòd ita me tui tractarint. Si ab hostibus id passus essem, conarer ope tuâ ulcisci. Sed istud mihi favoris indicium est divini. Non enim ignoro tuum filium dixisse: nec capillum quidem de capite periturum sine patris æterni voluntate.

Videte filium obedientissimum qui divinæ Matris currum trahat promptissimis obsequiis. Monstravit se filium Rex Stephanus hoc nomine verè pius & felix.

Nos assiduè cælestem Virginem precamur: *Monstra te esse Matrem.* Illa seipsam negare non potest, quisquis eam roget, illa rogat vicissim hoc unicum: Monstra te esse filium, & ego me monstrabo matrem. Hactenus, mi fili, trahebas currum Pluti, aut Cupidinis, aut Bacchi, aut Rhamnusiæ, aut Iunonis; trahe nunc meum amoris puri & sanctarum cogitationum. *Pluti* currum trahunt, qui Mammonæ serviunt, & inhiant

pecuniæ. Currum *Cupidinis* trahunt, qui veneri operantur & voluptates amant impuras. *Bacchi* trahunt, qui poculis ſtudent, & vino ſe proluunt. Trahunt *Rhamnuſia*, qui deam Iracundiæ, Vltionis, Invidiæ, Indignationis, furoris æſtuante animo ſequuntur. Abrumpe & excute frenos quiſquis voles eſſe filius divinæ Matris. Vis ab eâ gratiam & ſubſidium impetrare, illos diaboli currus unà cum aurigis ſuis ejura, fuge Acheronticas bigas, vince teipſum, frauda genium cupitis, edoma carnis petulantiam. Divinæ Matris filii non ore ſolùm ſed & actione prompti, materno currui ſe facilè ſinunt alligari. Amor illorum purus, cogitationes caſtæ, auro puto, argento excocto (a) conferendæ. Monſtrant ſe eſſe filios. Hæc vera pietas. Hi Salomones pii, hi divinæ Matris filii. Argiæ filiis in præmium fuit properata mors. Virginis Mariæ filiis erit mercedi vita & voluptas æterna.

(a) Geleuttert Gold / und fein Silber.

CAPVT XVII.

Salomon Pientiſſimus.

ROmanus Imperator M. Antoninus Fulvius, ſeu, Bojonius Pius Philoſophus, (a) hoc ſibi cognomen Virtute ac Fortunâ promeritus eſt. Hic, teſte Aurelio Victore, Tantæ bonitatis in principatu fuit, ut haud dubiè ſine exemplo vixerit. Orbem

(a) *Imperatorum decimus quintus Hadriano proximus.*

bem terrarum gubernavit viginti tribus annis, nullo bello, auctoritate. Omnes eum ut parentem, seu, patronum magis quàm dominum imperatorémve reputarunt, & timendo & amando. Ex omni Orbe missi ad eum legati ad componendas controversias justitiâ tanti Imperatoris compertâ, quam ornabat vultu sereno. Et quod prodigium ac grande miraculum censeri potest, Antoninus appetentiâ gloriæ carens & ostentatione, ad virtutis leges egisse, pro præmio habuit. In annonæ caritate, esurientis populi bilis eò excrevit, ut lapides volarent; at Imperator usque eò mitis fuit, ut maluerit ratione expositâ placare plebem quàm ulcisci seditionem. Vrgentibus Patribus persequendos esse conjuratores: Non est necesse, inquiebat, pertinaciùs indagari; tum quia mihi hoc injuriæ illatum, tum etiam ne sciatur quàm multi sint quibus odio sum. Antoninus jure optimo appellatus Pius.

Salomon idem hoc elogium reverentiâ in matrem & pietate ingenti commeritus, verè *Salomon Pius* ab Orbe vocatus est. Atqui etiam pietate in patrem, pietate in Deum hanc sibi laudem adeò auxit, ut rectè *Salomon pientissimus* potuerit salutari. Quod hoc capite dilucidiùs exponemus, simul de verâ in Deum atque homines pietate locuturi.

§. I.

Salomon in regem David parentem pientissimus. Non ignorans hoc pater: Facies

 ergo,

ergo, ajebat, juxta ſapientiam tuam. (a) Sciebat filium parenti non ſolùm non contradicturum, ſed agenda omnia prudenter ac moderatè tractaturum. Ipſe de ſe Salomon: Nam & ego, inquit, filius fui patris mei, tenellus & unigenitus coram matre meâ. (b) Quiſque ſui patris filius eſt, ſed non quiſque filius pius eſt, quod hîc de Salomone aſſeritur. In unâ eadémque oratione pientiſſimus Salomon, patris promeritis adſcribens omnia; Domine Deus Iſraël, inquit, conſerva famulo tuo David patri meo quæ locutus es: Domine Deus Iſraël firmentur verba tua quæ locutus es ſervo tuo David patri meo. Atque hoc crebriùs ingeminat. Inter rebellis Adoniæ tumultus omnia conſiliis & arbitrio patris commiſit. Ioſephus quoque Salomoneæ pietatis teſtimonium denuntians: Illatis, inquit, in patris monumentum maximis divitiis: hinc collige pietatem. (c) Hircanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho Pio, ut haſtis aureis pugnaret, immenſam vim auri è regio David monumento eruit. Cenſet, Pineda noſter, Hiſpanicorum ducatorum (d) quadraginta quatuor milliones, inſuper quingenta quinquaginta millia è tenebris illis educta; ejus pecuniæ partem magnam in Antiochi poteſtatem tranſiiſſe. Poſt plures annos Herodes plurimum hinc exemit gazæ; neuter tamen ad regis tumbam perveniſſe creditur.

Cellæ

(a) *3 Reg. cap. 6. verſ. 6.*
(b) *Prov. cap. 4. verſ. 3.*
(c) *Ioſephus lib. 7. Antiquit. cap. 12. fine.*
(d) *Scudi.*

Cellæ fuerunt octo absconditissimæ, & quanto profundiùs penetrabatur, tantò viciniùs ibatur grandioribus thesauris. Putantur mille milliones auri eò defossi. Ita pecuniæ, si necessitas obvenisset, eruendæ custos constitutus est mortuus. Vel certè id factum, ut esset magnificum pietatis in patrem argumentum. (*a*)

Nec in patrem tantùm, sed & in Deum pius fuit Salomon. Testantur Regum fasti: Dilexit Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui. (*b*) Peritiores Hebræi: Dilectio, ajunt, est amor natus ab experimento. Eam ob rem hortatur David: Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. (*c*) Vestrum in Deum amorem experimentis stabilite. Vel gustata solùm Dei suavitas non poterit vos non pertrahere ad amandum. Salomon Deum in se tam munificum expertus, amoris vim cohibere non potuit, insigni pietate testatus quem amaret. Hunc amorem insignissimè testatus est sacrificiis diversis iisque opulentissimis. Et quidem antequam perficeretur templum offerebat tribus vicibus per annos singulos holocausta, & pacificas victimas super altare quod ædificaverat Domino. (*d*) Hæc sacrificia in Gabaon instituebantur stato tempore, mille victimis opima: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon. (*e*) In dedicando autem tem-

(a) *Ita Villalpandus.*
(b) 3 *Reg. cap.* 3. *vers.* 3.
(c) *Psal.* 33. *vers.* 9. (d) 3 *Reg. c* 9. *v.* 25.
(e) 3 *Reg. cap.* 3. *vers.* 4.

templo Mactavit Salomon hostias pacificas quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia. Et dedicaverunt templum Domini, Rex & filii Israël. (*a*) Tale autem templum fuerat, cui absolvenda ætas hominis videbatur impendenda: septennio absolutum est; sedula ursit pietas. Porrò Salomonis preces in dedicatione templi quàm prolixæ, quàm piæ fuerunt? Inspice & librum dices, certè sensu, si non verbis. Quàm pium fuit Deóque gratum Sapientiæ votum non sine lacrimis expressum?

Inter tot Israëlis, & Iuda reges pientissimus in Deum Ezechias. Hoc illius encomium ab oraculo habemus: Operatúsque est bonum, & rectum, & verum coram Domino Deo suo, volens requirere Deum suum in toto corde suo; fecitque & prosperatus est. (*b*) Non minus elogii tulit Salomon: Confortatusque est ergo Salomon filius David in regno suo, & Dominus erat cum eo, & magnificavit eum in excelsum. (*c*) Complevitque Salomon domum Domini, & domum regis, & omnia quæ disposuerat in corde suo, ut faceret in domo Domini, & in domo suâ, & prosperatus est. (*d*) Est certè quæstus magnus pietas cum sufficientiâ. (*e*) Animus pacis & suâ sorte contentus, pietatis nomen facile tuebitur.

(a) 3 *Reg. cap.* 8. *vers.*63.
(b) 2 *Par. cap.* 31. *fine.*
(c) 2 *Par. cap.* 1. *vers.*1.
(d) 2 *Par. cap.* 7. *vers.* 11.
(e) 1 *Tim. cap.* 6. *vers.* 6.

§. II.

§. II.

Pietas duplex, illa in homines, ista in Deum. Pietatis in homines illustrissimum dedit specimen M. Antoninus Pius philosophus, quem capitis exordio laudavi, cujus Aurelius Victor encomiastes: Iste, inquit, virtutum omnium cælestisque ingenii extitit. Etenim nisi ad illa tempora natus esset, profectò quasi uno lapsu ruissent omnia status Romani. Nec Galliis, nec Italiâ, nec regnis aliis pax erat; Oriente toto Bellona imperabat: accedebant terræ motus cum urbium interitu, eluviones, pestilitas, locustæ agris agminatim infusæ, omnia depopulantes. Clades ubique locorum variæ. Sed credo divinitus attributum, ut dum Mundi lex seu natura ea mala gignit, rectorum consiliis tanquam medicinæ remediis leniatur. Eo tempore Antoninus Pius, à principio vitæ tranquillissimus, adeò ut ab infantiâ vultum nec ex gaudio nec ex mœrore mutaverit, ærario per diversas clades jam exhausto, cùm non haberet quod daret militibus, nolletque novas exactiones provincialibus indicere, instrumentum regii cultûs in foro Trajani publicæ auctioni hastæ subjecit, & auctione publicâ vendi jussit aurea, cristallina, murrhina vasa, cimelia pretiosa, suas & conjugis sericas, holosericas, aureas vestes, & omnem mundum. Duobus id mensibus factum, grandiore pecuniâ inde redemptâ. Post partam victoriam pretia emptoribus restituit, qui ultro reddere voluerunt; molestus nulli fuit, qui maluit

semel

ſemel empta retinere. Antoninus verè Pius, tam in cives quàm in exteros. Vrbs tota lacrimis funus Antonini decoravit. Pietas merebatur.

Pietas in homines eſt benefica, & cùm poteſt, non verboſas tantùm & vacuas manus porrigit. Quod adſtruens Gregorius: Beneficium, inquit, exhiberi debet per pietatem, & bonum verbum tribui per humilitatem. Quemadmodum verò principem aut Cæſarem in ſuâ veneramur imagine, ita Deum in homine. Idcirco Dei filius expreſſiſſimè: Amen dico vobis, inquit, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Addit: Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Quidquid homini, divinæ imagini, piæ venerationis exhibemus, exhibetur Deo, qui religioſos pietatis ſumptûs abundantiſſimè rependet. Magnus eſt quæſtus pietas cum ſufficientiâ.

Pietas in Deum aſſiduâ Dei memoriâ paſcitur; quavis horâ crebriùs Deum cogitare illi ſolemniſſimum. Homo ſeriò pius, ſi quando elabatur horula, quâ Dei memor non fuerit, non ſine gemitu ſeipſum accuſans: Periit hora, inquit, quâ Deum non cogitavi. Quemadmodum Apelles, diem, quâ lineam non duxiſſet, inter perditos numerabat. His exercitationibus Deo identidem propinquiores ſimus. Prout monemur: Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. *(a)* Quò quis vicinior eſt igni, eò plus caloris ſentit; Deus ignis eſt: quò crebriùs hunc

(a) *Iac. cap. 4. verſ. 8.*

hunc ignem cogitationibus devotis accedimus, plus ignis, ſapientiæ, lucis, gratiæ haurimus, ita magis magiſque incaleſcimus, unde ad actiones virtutum promptiores ac habiliores reddimur, cogitatibus pravis faciliùs obluctamur, ſanctimoniam omnem vivaciùs ſectamur. Marcus eremita dicere ſolebat: Sicut in aquâ ignis durare non poteſt, ita nec in corde pio turpis cogitatio. Cor pium non poteſt eſſe hoſpitium cogitationum malarum. Atqui omnigenæ virtuti non difficulter operabitur, apud quem cogitationes malæ non fuerint hoſpitatæ. Hoc autem quod in pientiſſimo Salomone cernimus, id etiam in aliis ejuſcemodi faſtigiis videmus.

§. III.

Lotharius Imperator *(a)* inter pientiſſimos numerandus, non ſolùm divinæ rei quotidie interfuit, ſed diebus ſingulis, vel etiam militiæ, triplex ſacrificium voluit ſe præſente peragi. Primum funebre ſummo mane. Alterum in exercitûs ſubſidium: tertium in aliorum negotiorum bonum prandio præmiſſum. Tam ipſe imperator quàm imperatrix ante mendicabula & paupertinam plebem procubuerunt, & infimis hominibus pedes laverunt, terſerunt, oſculati ſunt. Religioſorum hominum conſortio plurimùm delectatus Lotharius, ſacerdotes ut partes; viduas ut matres, pauperes & egenos ut filios habuit. Eccleſiarum cauſſas, quæ oppreſſionis aliquid quererentur, ante alias

(a) *De quo Cæſar Baronius Anno* 1138.

alias omnes admisit. Assiduus & pervigil in orationibus, quas non suspiriis solùm sed & crebris calidisque lacrimis distinxerat. Erat optimus Imperator, cùm precaretur, ut cera igni proxima, quæ lacrimatur & fluit ob caloris viciniam. Lotharius verè Pius. Prudenter Quintillianus dixit: Habet suos impetus pietas. *(a)* Sic est: hinc inter precandum solliciti gemitus, non insuaves lacrimæ, innumera cælestis patriæ desideria; hinc largiores eleemosynæ, hinc generosi ad frangendas cupiditates & vincendum seipsum actus: hinc pectus omne in divinam voluntatem effunditur. Nimirum habet suos pietas impetus.

Pietas vel modicis fulta consiliis imperat Orbi. Cæsar Baronius *(b)* copiose disserit quomodo puer unus & puella Orbem gubernarint pietate. Theodosius planè adolescentulus, sed eximie pius, à Pulcheriâ sorore quæ summum sexdecim tunc annorum, *(c)* sed jam imperatoris imperatrix erat, ad omnigenam pietatem formatus est. Illa etenim fratrem ita erudiit, ut à minutioribus orsa, primulum opportunè silere, loqui, ridere, stare, ambulare, in vestitu & victu curare moderationem doceret: ad majora dein progressa. Theodosium se digna sapere, regios simul & Christianos mores profiteri, & toto pectore pietatem complecti verbis traderet & exemplis. Idem in sororibus Arcadiâ & Marinâ præstitit. His moribus

(a) *Quintil. declam. 6.*
(b) *Baron. An. 415.*
(c) *Sozomenus censet 14. annorum fuisse.*

ribus ad omnem pietatem excultus Theodosius, cum anno imperii sui decimo octavo jucundum accepisset nuntium, Asparem supremum militiæ ducem in ludis Circensibus(a) vicisse, statim cessare jussit curules pugnas & populum omnem ad templum traxit præeundo, ad Ambrosianum hymnum cantandum. Theodosius verè pius. Ita sub exordium imperii tantam orbis molem, puer unus & puella cum summâ tranquilitate per eximiam pietatem rexerunt.

Carolus V. verè pius & felix Imperator Augustissimus, quotiescunque Italiam, vel Galliam, vel Angliam, vel Germaniam, vel hostem Asiaticum armis petere instituerat, priùs ipse sibi preces pro re nata conscripsit, quas quotidie sedulò recitavit. Suam ipse mortem pluribus annis priusquam mors ædesset, attentissimè meditatus est. Ciliciorum & flagrorum usum in corpore castigando non nesciit. Siquidem sub vitæ finem jam moribundus Philippo II. Hispaniarum Regi filio, cilicium asperum & flagellum cruentum in manus tradidit, paternæ pietatis mnemosynon. Idem fecit Philippus II. Rex, qui extremę lineę jam admotus Philippo III. filio, hoc ipsum à patre acceptum munus offerens: Sanguis, ajebat, mei parentis hoc flagrum ita insigniit. Vna filium severe commonefaciens, avitæ pietatis ne oblivisceretur: Vide, inquit, mi fili, quo reges mors redigat. Quantulum est, quo alti stamus? momento ruimus, inter taciturnam plebem censendi. Quidquid temporis

(a) Karrengerey.

poris inter uterum & tumulum numeremus, punctum est. Sequitur Æternitas, eheu inexplicabilis Æternitas. Disce justitiam monitus, & memento, brevî te quoque tuo judici responsurum.

Pii principes; & præ Salomone tanto commendatiores à pietate, quantò constantiores. Magnus revera quæstus est pietas cum sufficientiâ. Hæc autem pietas assidua Dei memoriâ conservatur & mirificè augetur. In eam rem consultissimum est eo se assuefacere ut singulis horis animum cælo attollat, Deum crebrius cogitet, & precatiunculâ quàm brevissimâ suam omnem in divinam voluntatem transfundat. Cujusmodi sunt illa:

Vel {
Domine Iesu, miserere mei, & dirige me.
Domine Iesu, tua non mea voluntas fiat.
Domine Iesu tuus sim, vivus & mortuus. (a)
}

His passibus ad illum ignem æternum, ad Deum accedimus; ita magis magisque Deo appropinquamus, ita pietatem minimè sumptuosam exercemus. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. (b) Ad Deum affectibus & desideriis crebrioribus eundum est. Hoc erudite facit pietas cum calet. Cor nostrum, velut

(a) *Septem semper voculæ quæ nos vel 7. petitionum in oratione dominica, vel sanguinis septies à Christo fusi, vel 7. verborum Christi in cruce moneant.*

(b) *Ioan. c. 4. v. 24.*

velut horologium feriatur, ni ſtato tempore ſurſum retrahantur pondera. Cor noſtrum, velut alata aut truſatilis mola otiatur, ni ventus aut manus eam agitet. Pietas moneri ſuſtinet, accendi cupit, inflammari gaudet.

CAPVT XVIII.

Salomon Omniſcius.

OCulus vitæ, Sapientia. Vita noſtra mera cæcitas, tenebræ meriſſimæ. In nihilum reputabitur, ſi ab eâ abfuerit tua, ô Deus, ſapientia. Sapientia humana, ſeu, carnis prudentia, plena malis fraudibus, pravis cupiditatibus, ſui amore. Humana ſapientia profitetur & jactat artes peſſimas, ollis omnibus invenire opercula, omni juri humano & divino affingere vanitatem, leges corrumpere, adulterare omnia. *(a)* Stulti ſi parum noti, plerunque parum nocere poſſunt: qui verò ſapientiâ pollent, ſed ſolum humanâ, & regna & populos poſſunt ſubvertere. Sapientia è cælo, ſeu ſcientia ſempiternorum, neminem ſeducit, ſubvertit neminem.

Tanta Salomon ſapientia valuit, ut inter omnes reges, interque univerſos homines eminentiſſimus, hodieque nomine recepto & ſapiens & ſapientiſſimus ab Orbe appel-

 letur,

(a) Jedem ding ein Naſen dreen / jeder Lauß ein Steltzen machen.

letur. Deus namque, uti est liberalissimus, Salomoni non eam solum quam petiit, gubernandi sapientiam, sed omnigenam concessit, quâ divina, humana penetraret: adjecitque insuper tale auctarium, ut jure merito Hebræus rex iste dici possit omniscius scientiarum omnium peritissimus. In Poësi, Medicinâ, Iurisprudentiâ, Theologiâ, non tantum aliquid libavit, quod nos solemus, qui nonnunquam ad ostentationem diversa discimus, perfectè nihil scimus. Salomon scientiarum velut dominus, tam æquè dici potuit Theologus, quam Iurisconsultus, Medicus. *Salomon omniscius.* Hinc scientiarum thesaurum in uno Salomone repositum, ordine sed strictissimo lustrabimus; in coronidem addituri, quæ Christiana sit omniscientia.

§. V.

Ordine, ut promisi, scientias & artes nominabo: sed quæso periculosum mihi non sit, si cui locum minus dignum assignaro. Convivas ordinis ac dignitatis diversæ sessum locaturus, si non perinde certam cujusque status habeat notitiam, ex bona fide ad accubitum citat epulaturos. Nec ego id aliter: fide bonâ nomenclaturam è scientiis texam, quæ prior, quæ posterior sit, parum id refert. Ambitione non gaudet ordo. Sit ergo.

1. *Poesis.* De hac Plinius secundus in epistolis disserens: Carminis, inquit, est parva gratia, nisi eloquentia sit summa. Salomon

lomon poëseos minimè ignarus, quod Regum fasti testantur, locutus est tria millia parabolas; & fuerunt carmina ejus quinque millia. (a) Hinc eum Hieronymus in prologo psalterii numerat inter decem auctores psalmorum. Ævo Salomonis in Græcia sacri poëtæ celebrantur Linus, Amphion, Orpheus, Musæus, Sibyllæ. Hi priscorum theologi. Trajanus, Nero, Adrianus, Constantinus poëseos non ignari. Qualis verò poësis regem deceat, Dio docet.

2. *Eloquentia.* Eloquentissimus Salomon, qui de seipso: Mihi autem, inquit, dedit Deus dicere ex sententiâ. (b) Interpretatio Vatabli est ista: Deus mihi dedit sententiosè loqui. Profectò vera eloquentia non copiâ verborum & multitudine, sed nexu decoro, ut verba scitè ligata, sententiis gravioribus distincta, sensu erudito & nonnunquam recondito sint fecunda. Quâ in re scientissimum asserimus, & ideo facundissimum Salomonem.

3. *Musica.* Musices peritissimum fuisse Salomonem, certo testimonio est, quod asserit Regum historia: Erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezrahite, & Heman, & Chalcol, & Dorda filiis Mahol. (c) Hi autem inter cantorum principes censebantur. Nam Chronicon Regum ita loquitur: Porrò cantores, Heman, Asaph, & Ethan.

(a) 3 *Reg. c. 4. v. 32.*
(b) *Sap. c. 7. v. 15.*
(c) 3 *Reg. c. 4. v. 31.*

Ethan. (*a*) His excellentior in re Musica Salomon, cujus pater excellentissimus fuit Musicus. Salomonis personam sustinens Ecclesiastes amantissimus Musices: Feci mihi, ait, cantores & cantatrices.(*b*) Aliquid è cælo inest Musicæ. Qui in Musicam hostili sunt animo, osores Musices, ubi eos in terrâ collocem, invenio; sed non invenio, quo eos loco in cælo ponam, ubi perpetua est Musica locis omnibus. Illud insolens cælitibus & nimis quam rarum: Factum silentium in cælo quasi mediâ hora. (*c*)

4. *Ænigmatica*, Eusebio rationalis philosophia; ars est quæ scrupos & obscuras quæstiones texere novit & solvere. Eâ in re primus artifex & planè Lynx Salomon. Quod Chronicon Regum explicans: Regina Saba, inquit, cum audisset famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus in Ierusalem cum magnis opibus & camelis, qui portabant aromata & auri plurimum, gemmasque pretiosas. Cumque venisset ad Salomonem, locuta est ei quæcunque erant in corde suo. Et exposuit ei Salomon omnia quæ proposuerat: nec quidquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit. (*d*)

5. *Historia*, pars magna humanæ sapientiæ, digna rege, sapientibus & eruditis omnibus studiosissimè colenda, bello togaque

(a) 1 *Par. c.* 15. *v.* 19.
(b) *Eccles. c.* 2. *v.* 8.
(c) *Apoc. c.* 8. *v.* 1.
(d) 2 *Par. c.* 9. *v.* 1. *& seqq.*

que utilis. L. Lucullus qui Mithridatem & Tigranem, reges potentissimos vicit, Livio teste, (*a*) vix aliam bellandi peritiam quàm ab historiis attulit. Historiæ notitiam, Gregorius Nazianzenus vocat conglobatam sapientiam. Et quia civilis doctrina historiæ conjuncta, Basilius Imperator Leoni filio præceptiones ingerens: Per veteres, inquit, historias ire ne recusa: ibi enim reperies sine labore, quæ alii cum labore collegerunt; illinc hauries & bonorum virtutes & improborum vitia. Salomon illius sapientiæ, quam acquisierat, commoda prædicans: Si, ait, multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat. (*b*)

6. *Mathematica* quæ tres complectitur partes, Arithmeticam, Geographiam, & Astrologiam. Salomon in omnibus tribus scientiis excellentissimus. Nulla verò nec Mathematicæ nec Musicæ scientia consistit sine Arithmeticâ. Salomon Geometer & Astronomus summus. Sapientiâ namque præcessit sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus. (*c*) Atqui Orientales Astronomiæ studiosissimi, & præcellentes in eâ: Ægyptii Geometriâ perinsignes omnes. His omnibus antistabat Salomon qui eâ excelluit sapientiâ, quæ etiam signa & monstra sciret antequam fierent, & eventus temporum, & sæculorum. (*d*)

(a) *Livius lib.* 1. *initio.*
(b) *Sap. c.* 8. *v.* 8. (c) 3 *Reg. c.* 4.
(d) *Sap. c.* 8. *v.* 8.

7. *Architectura*, quam necessario famulatu comitari vel etiam antecedere debet Geometria. Nemo architectus qui non geographus. Quâ in re Salomon ſuper omnes alios mortales qui vel omnibus retro ſæculis vixerunt aut victuri erant futuris, ita eminuit, ut probe is unus ædificator & architecton poſſit appellari. Templum Hieroſolymæum pro mille teſtibus eſt. Nemo mihi Mauſolæa vel templa Dianæa ingerat; ludicra ſunt hæc, & attegiæ & gurguſtia ad templum Hieroſolymis collata. Sed templi deſcriptionem, inquit, à Deo accepit. Non negamus: Regiæ tamen domus, quam tredecim annis ædificavit, ideam nullam, ſed multam ejus rei à patre inſtitutionem habuit. Num Salomon aurificinam theoricam, ſeu chryſopœjam (a) ſcierit, incertum. Mihi veroſimilius eſt ſciſſe, ſed non uſurpaſſe. Quid enim quod in ſapientiæ humanæ arcanis eſſet, neſciit? Eſſe artem conficiendi auri, meus me magiſter in philoſophiâ docuit; quis eam unquam calluerit, non docuit.

8. *Philoſophia*, quæ quatuor ſub ſe partes continet: Logicam, Phyſicam, Metaphyſicam, Ethicam. Dialecticæ ſeu Logicæ peritiſſimum fuiſſe Salomonem nil dubii: cum ſciret verſutias ſermonum & diſſolutiones argumentorum. (b) Phyſiologiam omnem exactiſſime calluit. Credemus hoc teſti locupletiſſimo, qui ad divinæ largitatis

tatis

(a) Alchimey/ Goldmacherkunſt.
(b) *Sap. c. 8. v. 8.*

tatis commendationem de ſeipſo : Ipſe enim, inquit, dedit mihi horum quæ ſunt, ſcientiam veram : ut ſciam diſpoſitionem Orbis terrarum, & virtutes elementorum ; initium & conſummationem, & medietatem temporum, viciſſitudinum permutationes, conſummationes temporum, morum mutationes, & diviſiones temporum, anni curſus & ſtellarum diſpoſitiones : naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes, differentias virgultorum, & virtutes radicum ; & quæcunque ſunt abſconſa & improviſa, didici : Omnium enim artifex docuit me ſapientia. (a) Neque hoc inviſus & latens in Salomone theſaurus fuit. Illuſtriſſima tam variæ ſcientiæ dedit ſpecimina. Diſputavit enim ſuper lignis, à cedro, quæ eſt in Libano uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete. Et diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. (b) Scrutator Naturæ Salomon & myſtes profundiſſimus. De metaphyſicâ ne quæramus : Præceſſit omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante ipſum in Ieruſalem, & mens illius contemplata eſt multa ſapienter, & didicit. Deditque cor ſuum, ut ſciret prudentiam atque doctrinam, erroreſque & ſtultitiam. (c) Ethicum fuiſſe docent ejus libri ab Eccleſiâ recepti. Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica. In proverbiis verè Ethicus & morum magi-

(a) *Sap. c. 7. v. 17. & ſeqq.*
(b) 3 *Reg. c. 4. v. 33.*
(c) *Eccleſ. c. 1. v. 16. & 17.*

magiſter decalogum explicat eximie; nec non nobiliores illas virtutes Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, temperantiam excellenter docet. In Eccleſiaſte ut plurimum phyſicus & œconomicus eſt. In Canticis Theologus, Chriſti & Eccleſiæ tradit myſteria.

9. *Medicina.* Aut Angelum aut Deum aliquem in arte medendi Salomonem fuiſſe, veteres non ſine caufsâ crediderint. Salomonis libros, ſi Euſebio fides, quos ille de morborum omnium curatione ſcripſit, rex Ezechias abolevit, quòd populus ab eis omnem valetudinis rationem crederet pendere, & proinde opem divinam nihili pæne duceret. Salomon certe magiæ naturalis ſcientiſſimus: hinc quædam fecit, quæ aut ingentia viſa ſunt miracula, vel præſtigiæ iis, qui abditas rerum cauſſas ignorabant. Ita providentiæ divinæ placitis interciderunt ea, quæ minus creduntur neceſſaria. Magis utilia vitam & ætatem ad nos uſque extenderunt; jam extra terminos mortis omnia antiquantis poſita.

10. *Iuriſprudentia.* Hanc à Deo Salomon petivit, hanc utique accepit, ut è judicio mulierum duarum rixantium æquiſſimo liquet. Hanc autem juris legumque atque gubernandi ſcientiam ſubmiſiſſime poſcens à Numine: Servus tuus ſum ego, inquit, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii & legum. Mitte ſapientiam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, ut

mecum

mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſuâ potentiâ. Et erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum juſte, & ero dignus ſedium patris mei. (*a*) Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum. (*b*)

11. *Theologia.* Theologum Salomonem ſummum prædicare, non ægre perſuadeor; erat enim ſcientiſſimus tam illius Theologiæ, quæ Naturalis dicitur, quàm ejus, quæ ſupra naturam evolat. Ipſe Salomon rationem redditurus, cur tantopere vel à puero amaſſet ſapientiam, hanc ſubjicit cauſſam: Doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum illius. (*c*) Hoc autem magiſterium & munus proprium eſt Theologiæ, diſciplinam Dei tradere, & divinas operationes in lucem proferre. Veroſimillimum eſt multa cælitus patefacta Salomoni de Filio Dei, æternâque illius progeneratione, de Sancto Spiritu, ejuſque munere ſeptenario, de Eccleſia futura, de lege nova, de Chriſto, de multis religionis myſteriis. Hinc revera de his notæ ac veſtigia in Salomonis libris.

12. Scientiarum artiumque complexus, & multi jugis rerum pæne omnium notitia. Atque hinc Salomon velut publicus multi-

(a) *Sap. c. 9. v. 5. & ſeqq.*
(b) *3 Reg. c. 3. v. 9.*
(c) *Sap. c. 8. v. 4.*

multiformis ſapientiæ profeſſor Omniſcius. Hinc Hieroſolymorum urbs tanquam ſapientiæ gymnaſium. Accurſus illuc undique. Nec obſcurorum tantum hominum hic affluxus. Principes, Reges, Regum Legati Regiam Salomonis frequentabant; Et veniebant, ut in regiis faſtis eſt, de cunctis populis, ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab univerſis regibus terræ, qui audiebant ſapientiam ejus. *(a)* Erat enim nominatus in univerſis gentibus per circuitum, cum eſſet ſapientior cunctis hominibus. Hinc vero nomine *Salomon Omniſcius.*

Omniſcii nomen tribus, quod ſciam, honoris cauſsâ datum eſt. Omniſcius vocabatur Hippias, Hieronymus Stridonienſis, Alphonſus Toſtatus Abulenſis. Hippiam depingens Philoſophus Madaurenſis: *(b)* Artium, inquit, multitudine prior omnibus. Hieronymus alter inter omniſcios. Iam Auguſtini ævo vulgatum dictum: Quod Hieronymus, omnium litterarum ſtudia adeptus, neſcierit, nemo facile diſcet.

Tertius Toſtatus Abulenſis Epiſcopus qui tredecim bene magna ſcripſit volumina. De cujus eruditione natum illud plebejum:

Hic ſtupor eſt Mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

In horum, mi Lector, omniſciorum album tarde penetrabimus volvendis libris.

Aliam

(a) *3 Reg. c. 4. v. 34. & 35.*
(b) *Madaurenſ. l. 2. Floridor.*

Aliam tibi monſtrabo viam, ad utiliorem omniſcientiam.

Chimia eſt inter Chriſtianos admirabiliſſima, quæ ex omni ferro, ex omni plumbo, ex omni metallo aurum puriſſimum eliquare novit. Artis iſtius princeps documentum hoc eſt:

E quavis re, quantumvis mala,
Quantumvis peſſima bonum quid eliciendum.

Hæc ars verè reddit Omniſcium: hanc artem exactè callent, qui feriò virtuti ſtudent: hæc ars lucroſiſſima Chriſtianorum eſt Chimia. Non imperite dixit Plinius: Librorum nullus tam malus eſt, quin ex eo boni aliquid diſcas. Ita prudens è rebus afflictiſſimis, è maximis, quæ videntur, malis, prægrande ſibi lucrum colligit, ingentem haurit quæſtum. Illud à priſcis rectiſſimè dictum veneror:

In re mala juvat eſſe animo bono.

Fabuloſus Midas è ferro, plumbo, marmore, ligno, luto, rebus omnibus ſolo contactu aurum repræſentavit. Nugamenta & fabulæ. Valete ſomnia. Nos aliis Chriſtus imbuit præceptionibus. E cælo noſtra petita ſunt myſteria. Chimia Chriſtiana quidquid uſpiam malorum eſt, virtutibus diverſis in ſuum transfert commodum. Nam modò fiduciam, modo ſubmiſſionem, modò patientiam, modò ſolam cum Dei voluntate Conformationem in ſubſidium accerſit: ſic mala omnia ſibi fructuoſiſſima reddit. Quâ in re ſapien-

ſapientiſſime juxta & appoſitiſſime philoſophatus Epictetus: Fructus ergo, inquit, ex iſtis capi poteſt? Ex omnibus: etiam è convitiatore. Hic me exercet ad tolerantiam, ad manſuetudinem, ad clementiam. Sic verbi gratiâ: malus vicinus eſt? ſibi ipſe; mihi verò bonus: exercet moderationem, exercet æquitatem meam. Malus pater eſt? Sibi ipſe; at mihi bonus. *(a)*

Hæc eſt Mercurii virgula, hac quidquid attigeris, aureum erit. Congere in me morbos, egeſtatem, injurias, pericula, calamitates varias, damna rerum plurima, per hanc virgulam reddentur utilia, fient aurea. Nil hoc novi aut miri ab eâdem manu vulnus infligi, & remedium adhiberi; ex eâdem re venenum trahi & antidotum. Quid nocentius bufone, vipera, ſcorpione, cane rabido? At viperæ punctiones, viperæ cinis perſanat: bufonum virus chelonitis *(b)* pellit: ſcorpionis ictus ſcorpionum oleum curat; rabidi canis morſibus, ejuſdem pili medentur. Plantæ ſunt & arbores naturâ ſuâ noxiæ: ſi transferantur, ſalubres fiunt. Ex idolorum templo lateres & ſaxa ſumuntur ad templum vero Deo ſtruendum. Idem annulus, eadem gemma quam impurus procus digito ferebat, in cæleſtis ferculi ſertum aptatur. Venenum horremus, & tamen in pleriſque pharmacis veneni quid latet in valetudinis bonum:

In

(a) *Epict. l. 3. Differt. c. 30.*
(b) Krotenſtain.

In re mala juvat esse animo bono.

Etsi arbitremur nos ingens damnum passos, si Chimiâ utamur istâ comperiemus nos lucri plurimum accepisse. Quæ nocent, docent. Pecuniam è crumenâ perdidisti? Tolera: & repositum habes in animo patientiæ thesaurum. Contemptus & irrisus es? Ne dole: brevî inter Angelos collocandus es immortalis rex. Famem, sitim, morbum, dolores pateris? Gaude, sic augentur tibi voluptates æternæ. Angores animi & mœrores te fatigant? Nil expavesce: Hæ spinæ tibi viam communiunt ad cælum. Varie à Satanâ & à Satanæ ministris impugnaris? Ne trepida: Vincenti dabitur manna absconditum. Plurima te incursant mala? Si tu bonus sis, omnia tibi emolumentum facient incredendum, omnia utilitatis fructum multò quam largissimum præbebunt. Adversa te cruciant innumera? Ne animum desponde: omnia ex usu tuo erunt, omnia tibi facies perutilia ferendo. Industrius paterfamilias vere agrum stercorans: malè naribus, inquit, sed bene arvis: fœtet, sed lætificat. Ita prorsus quæ nocent, docent; sic reverâ quod jacturam credimus, quod damnum ingens putamus, nostra est instructio, noster profectus, nostra salus. Ita prudens Christianus Chimiæ sacræ peritus ex adversis omnibus, è rebus quibuscunque vel turbatissimis vel pessimis bonum quid elicit, omnia vitæ mala in suum trahit usum. Quod prorsus aliud non est

quam

quàm è plumbo purum putum eliquare aurum. Hæc Chimia multò lucrosissima, hæc vera est omniscientia. Hanc unam callere artem & divitias parit & beatitudinem.



SALO-

SALOMON FATUUS ET FLAGITIOSUS.

CAPUT I.

Salomon Negotiosus.



NNÆUS à Cordubâ philosophus inter diversas quæstiones de rerum naturis, speculorum mentionem injiciens: Inventa sunt, inquit, specula, ut homo ipse se nosceret. Specula grandiora ad viri staturam facta, tria potissimum suggerunt historiæ.

Primum est Cæsaris Othonis, quem irridens Iuvenalis canit:

—— quo se ille videbat
Armatum cùm jam tolli vexilla juberet. (a)

Veterem poëtam Sidonius Apollinaris imitatus dixit:

Post speculi immanis pompam, quo se ille videbat,
Hinc turpis quod pulcher Otho ——

N Alte-

(a) *Iuven. sat. 2. vers. 99.*

Alterum oratoris Græci facundiſſimi Demoſthenis fuit, qui maximum domi ſpeculum in eum finem habuit, ut adſtans illi & in umbrâ declamans, à taciturno monitore hoc, ſi quid in geſtu eſſet, reprehenderetur. Demoſthenes, ſi Plutarcho credimus, facundiam à Platone philoſopho, argumentationis vim ab Euclide dialectico, actionis congruentiam didicit à ſpeculo.

Tertium æquè magnum Cornelius Muſſus Italorum Chryſoſtomus in eum uſum adhibuit, ut priùs ad mutum hunc cenſorem diceret, componendis ſcitè geſtibus, quàm cathedram aſcenderet. (a)

En tibi, mi Lector, ingentia tria ſpecula, in quibus ſe Imperator jam armatus, Græcus orator declamaturus, Italus concionator in ſuggeſtum proditurus, ſeipſos contemplati ſunt, in rem eorum qui illos non audituri tantùm ſed & viſuri eſſent.

Alia nobis ſpecula proponit in Orbe Deus, & inter hæc peculiare aliquod & grande, quod *Speculum humanæ vitæ* liceat appellare, ſpeculum ſanè admirandum; in quo univerſi mortales, opulenti, egeni, ſummi, imi, ſancti, ſceleſti ſuos intueantur mores. Speculum hoc magnum quod Orbi Deus propoſuit, eſt Hebræus Rex Salomon, verè *Speculum humanæ vitæ*. Probiſſimi, ſanctiſſimi abunde hic habent quod contemplentur & diſcant: ſed & flagitioſiſſimi, ipſi quoque idololatræ ſe totos à capite ad calcem circumſpicere queunt. Speculum admirabile

(a) *Ita Philip. Boſquier ex eadem S. Franciſci familia, in ſobriis Lental. pag. 497.*

mirabile in quo tam ſibi contraria elucent, Virtus & Vitium, Sanctimonia & Nequitia ad vivum efformata. Bonæ mentis homo Salomonem videt juſtum, modeſtum, pium, omnigenis virtutibus ornatum. Homo impius Salomonem cernit inſignitè improbum, flagitioſum, non uno ſcelere coopertum, perditum, vitiis merſum. O veriſſimè *ſpeculum humanæ vitæ*!

De Salomone ſapiente, ſancto diximus. Ne quid imperfecti operis relinquamus, nunc etiam de Salomone Fatuo, Flagitioſo dicendum, ne manum de tabulâ tollam picturâ non finitâ. Nemo autem miretur tot inſignia in hoc ſanctitatis ſpeculo flagitia ſpectari. Idololatria vitiorum complexus eſt; ubi illa imperat, illic omnis ſanctimonia exulat, ibi Nequitia plurimo comitatu triumphat. Quâ vero tandem ratione Rex Salomon in hanc ſcelerum voraginem prolapſus ſit, operæ pretium duxi paullò explicatiùs calamo referre. Enimverò de vitiis Salomonis ita loquemur, ut iis Chriſtianorum Regum ac Principum mores opponamus, quò candidum & atrum juxta ſe poſita magis eniteſcant. Deſcripſimus in priore parte Salomonem

1. Modeſtum.
2. Oeconomum.
3. Architectum.
4. Induſtrium.
5. Divitem.
6. Ditiſſimum.
7. Liberalem.
8. Hoſpitalem.

9. Clementem.
10. Magnificum.
11. Magnificentissimum.
12. Iustum.
13. Iustissimum.
14. Sapientem.
15. Sapientissimum.
16. Pium.
17. Pientissimum.
18. Omniscium.

Nunc porrò describemus Salomonem à se toto diversum, & in vitiorum dulcedinem præcipitatum.

1. Negotiosum.
2. Inconstantem.
3. Prodigum.
4. Avarum.
5. Carnalem.
6. Luxuriosum.
7. Ingratum.
8. Superbum.
9. Imprudentem.
10. Fatuum.
11. Idololatram & magum.
12. Mœrore afflictum.
13. Penuriâ pressum.
14. Morbidum & Inglorium.
15. Mortuum.
16. Beatum an damnatum.

Vt autem tantæ ruinæ principia noverimus, hoc capite Salomonem negotiosum sub oculos ponam. Inde patebit quâ ratione sensim inter curarum & negotiorum tumultus hominem Dei oblivio trahat ad illicita, dum pertrahat ad præcipitium.

§. I.

§. I.

Nemo repentè fit malus. Qui è ſuperiore domo in infimam deſcenſum parat, per ſcalas & gradus vadit, ſive greſſu, ſive præcipitio, ſive ſaltu: ita qui properat in profundum ſceleratæ vitæ, pedetentim & per gradus plerunque in exitium abit. Ita Salomon poſt patris obitum non primo ſtatim menſe, ſed nec primo anno, ſed ſenſim in barathrum deſcendit. Initium ruinæ Salomon negotioſus. Regimen illius multò ampliſſimum: adminiſtranda habuit duo regna, Iſraëlis & Iuda, quod nulli ab ipſo Regum obtigit. Hinc curæ ac ſollicitudinis animum in diverſa rapientes. Sed hoc minimè culpamus. Habuerit vel quadruplex regnum, & tantò auctiores curas, ſi Salomon permanſiſſet Salomon, hoc eſt, ſibi ſimilis, ſine animi diſpendio munere fungi ſuo potuiſſet.

Nemo terreatur laboribus: jugis occupatio, ſalus animi. Catenati labores vitiis per otii oſtium irrupturis viam obſtruunt: Si cetera ſint paria. Explico. Cùm ſtomachus robuſtus calidus eſt, etiam cibi appetens eſt. Hinc pabulum largius offundendum: digerit accepta. Sin autem ſtomachus ſit debilis & frigidus, ſed nihilominus cibi potúſque multum recipiat, vlx tertiam ingeſtorum partem digeret; labori ſuo ſuccumbet: ita curæ, negotia, & occupationes hominem non robuſti ſpiritûs debilitant, frangunt, enervant & eviſcerant. Principio ſtomachi calentis erat Salomon, ſed ſenſim il-

lum perfrigeravit tot amoribus parum probatis. Hinc ſtomachus ei ſrigefactus qui tot fercula, tot ſcilicet curas, tótque negotia nequiit ſubigere. Hinc illi imperabant & dominabantur occupationes, non ille occupationibus.

Exteriorum ſollicitudo, divinorum oblivio. Ita paullatim deficimus, & è calidis tepidi, è tepidis frigidi ſimus. Ita Deus quos amaverat odiſſe incipit. De Salomone certum eſt teſtimonium regalis hiſtoriæ. Iratus eſt Dominus Salomoni, eò quod averſa eſſet mens ejus à Domino Deo Iſraël. *(a)* Antehac Salomon multas longáſque Deo preces adhibuit, jam raras aut nullas: Antehac Salomoni princeps cura fuit pietas, guſtaverat enim delicias divinas, eviluerunt iſta, non ſapiunt hæc ampliùs. Antehac rex optimus Deo perfamiliaris & intimus fuit, ſuum omnem animum in precibus coram Deo effudit, nunc aliis delectatur ſtudiis. Melior è cælo calor pæne omnis intepuit. Negotioſitas & voluptas ita regem hunc velut captivum tenuerunt, ut ille paullatim amiſerit ſeipſum, idque ſuaviter ignorare voluerit. Verbo, Deum & divina non ſitivit ampliùs.

Et ab hoc ruinæ principio multa hominum millia gradu ſuſpenſo eunt in ipſum præcipitium. Res ſaluberrima occupatio aſſidua, ſed animo valenti, & Deum ſæpius cogitanti. Alit bonam mentem continuus labor. Quòd ſi negotia merè profana ſint, & mens jam ante arida & vaga, idem illi eveniet quod ſtomacho imbecilli & frigido, qui longè plus ciborum recipit quàm dige-

(a) 3 *Reg. c.* 11. *v.* 9.

rere possit; demum oneri succumbit, & seipsum evertit. Ita plurimi occupationibus distinentur maximis, negotiorum pleni; dies noctésque principibus suis vigilant, sibi nunquam: nam officiis ita implicantur, ut perquam raro ab iis horulam decerpant, quâ sui sint. Ita sensim pietas illorum jam antè non magna, evanescit omnis, quidquid in ipsis boni spiritûs erat, exhauritur, tandem animi salus & cura nullius curæ est. Hinc illi tales, quanti quanti sunt, vani & politici, pietatis omnis expertes, rerum divinarum inanes, de rebus omnibus quæ ad cælum non faciunt, extensissimè fabulari queunt; de gentium moribus, de avaritiæ compendiis, de scelerum aliorum versutiis in plures horas garrire norunt. Cùm de calo aut virtutibus sermo est, piget loqui, aut vacua mens quod promat non habet. Ita exteriorum sollicitudo, divinorum oblivio. Ita inter negotiorum turbam, præsertim plurium fluxu annorum, homo suaviter seipsum perdit, & nescit. Ita cum Salomone negotioso actum est. Partim negotiis, partim voluptatibus implicatus, seipsum sensim amisit & ignoravit.

Idcirco Christus toties hominum nimis actuosorum aurem vellicans: Nolite, inquit, solliciti esse. Sedulum laborem, diligentiam providam non culpat, sed sollicitudinem anxiam, præproperam, timidam, Deo diffidentem, ab obsequiis divinis abstrahentem damnat, & hortatur porrò: Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus. Quantacunque sint negotia, nemo sinat viam

ad alta, iter ad cælum sibi obstrui, jugem ad Deum habeat recursum, non semel tantùm quavis hebdomade, aut quovis die, sed in die sæpius fiat familiaris Deo. Quòd enim spiritalis eruditio nihil proficiat, Servator caussam assignans: Sunt, inquit, qui audierunt, & à sollicitudinibus & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes suffocantur, & non referunt fructum. (a) Nimirum rebus perituris & fugacibus, voluptatum blandimentis & illecebris mersi, occupationibus profanissimis sepulti vix unquam liberiùs respirant ad Deum. Cor eorum aut marsupio, aut culinâ, aut horreo, aut cellâ, vel syngraphis & perscriptionibus (b) defossum jacet. Nec enim hi tales in negotiis ut piscatores in aquis, sed ut urinatores sub aquis versantur.

Illaudabilem hanc sollicitudinem Christus in hospitâ suâ non dissimulans: Martha, Martha, inquit, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò unum est necessarium. (c) Martha maximæ pietatis virgo, optimi animi, duplici tamen reprehensiunculâ sollicitudinis plus æquo majoris monita est: primò quidem cùm ageret Christi hospitam & ob parandum convivium operosa satageret: deinde cùm fratris jam sepulti fatum deploraret, metueréteque, ne amoto marmore nimius è sepulchro fætor emergeret, audiit à Christo: Nónne dixi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei. (d) Martha, Martha, noli nimiùm esse sollicita. Hoc

(a) *Luc. c. 8. v. 14.* (b) In Schuldbrieffen.
(c) *Luc. c. 10. v. 41. & 42.* (d) *Ioan. c. 11. vers. 40.*

Hoc ipsum, sub negotiis Deum ex oculis amittere, exteriora tantùm curare, prisci Patres gravius reprehenderunt. Clemens Alexandrinus acer pædagogus: Non animadvertunt, inquit, dum colunt id quod est extrinsecus, quæ intus in profundo sita sunt, esse planè inculta, horrida & sterilia. Videte mihi templi Ægyptii portas, ingressum, atria, porticus, columnas, opulentiam multiplicem electri, argenti, auri, gemmarum. Cui hæc omnia? Ingredimini, & pro Deo felem, aut crocodilum, aut serpentem invenietis. Ita multi foris nitent, intus putent. Salomon foris nimiùm ornatus omnium sese oculis probabat, cor intus Cupidinum plenũ in varias exæstuabat delitias.

Chrysostomus à Clemente non diversus: Sollicitudines assiduæ, inquit, mentis acumen hebetant, eúmque qui animo volucri ac pernice sit, plumbo graviorem reddunt. (a) Terrena namq; habitatio (Sapientiæ vox est) deprimit sensum multa cogitantem. (b) Ejusdem animi Gregorius Nyssenus: Est aliquis, ait, qui amœnum habeat hortum, & varios in eo aquæductus, sed canales lignei & putrore sunt exesi: hinc aqua pluribus locis erumpit in grande damnum horti, cujus bono fuerat introducta; ita cùm negotia curæque omnes effractis viis ad fluxa solùm & inania malè diffluunt, incultus perit animus, velut hortus aquis stagnantibus non tam rigatus, quàm obrutus. Verùm, ut promisimus, huic nigro adstituamus

(a) *Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio.*
(b) *Sap. cap. 9. vers. 15.*

album ut ob viciniam magis elucescant.

Philippus II. Hispaniarum Rex amplissimum sanè regnum prudenter & fortiter administravit: nihilominus, ut Cervera Turrianus & Franciscus Guillimannus(a) testantur, orationi ac meditationi deditissimus fuit. Christi crucifixi & divinæ Virginis Matris icones duas in oculis semper & ante se habuit. Secundùm mensam in suum se conclave solus recepit, & libellos precatorios promens ad occupationes se disposuit orando, & affigendo mentem supremæ voluntati: sic demum aggressus est negotia. Ioannes Ruizius de Velasco asserit hunc Regem quotidie horas quaternas, plerunque quinas precando consumpsisse, idque à se annis multis observatum. Quo sensu, quo animi ardore orarit, crebriores testatæ sunt lacrimæ. Habuit Philippus Christi Crucifixi effigiem, quam supremo vitæ tempore horis aliquot in amplexu tenuit, crebriùs eam osculatus, nec priùs crucifixum quàm animam dimisit. Testatus hoc Joannes Zamudius de Alfaro, quotiescunque ad regem solum ingressus esset, toties eum à se repertum oculis in hoc ipsum pendentis IESU signum defixis. En alium Salomonem sed inter negotia religiosiorem. Addo quod huc singulariter spectet. Eam Philippus familiaritatem cum Deo contraxit, ita suam divinæ Menti ac Voluntati conjunxit, ut hanc cum Deo communionem ac consuetudinem nullo unquam die intermiserit, sed cœpta in morbo etiam gravissimo, ut licuit, per-

(a) *Guilliman. & Turrian. lib. 2. c. 15.*

perpetuarit. Salomon talis, aliquot annis, non talis semper; cæpit, non finiit: aversa mens ejus à Deo. Negotiosus Salomon paullatim à primâ sanctimoniâ defluxit, Deum & seipsum amisit.

En malorum originem, quam Christus adeò fideliter monuit providè cavendam, ne curæ ac sollicitudines ac negotiorum moles eò excrescant, ut spiritus vigorem opprimant. Experimur ipsi, quàm verum sit illud, Exteriorum sollicitudo, divinorum oblivio. Hoc geminum sed occultum defectionis à Deo est initium. Teredo molit occultissimè, tandem trabs tota carie exesa frangitur. Vitiosum est, & nimiùm & nimis parum laborare: utrimque malum imminet. Suam viator lassitudinem quandoque reficit diversorio, aliquantulùm suæ siti propinat; si quid famis est, eduliis aut pane medicinam facit: imprudens nimiùm peregrinator sit, qui dies noctésque perseverare iter, & supervacaneum cogitet respirare: ita homo negotiosus, nisi statis vicibus refugiat ad Deum, preces repetat, mentem gubernatori summo conjungat. Labora, sed ne labores: Tu negotiis, non illa tibi imperent.

CAPUT II.

Salomon Inconstans.

Non omnibus negatus est speculi usus; quibusdam etiam suasus & concessus, præcipuè iracundis, cùm jam in fermento sunt, & ignes spirant. Seipsum Plutarchus sapienter objurgaturus:

Non

Non ægrè feram, inquit, si in irâ proferret mihi quis speculum: sicut quibusdam jam lotis comptisque solet sine ullo bono fructu. *(a)* Annæus Seneca de hoc ipso monstro ita disserit. Quibusdam, ut ait Sextius, profuit iratis aspexisse speculum. Perturbavit illos tanta mutatio sui. Velut in rem præsentem adducti non agnoverunt se. *(b)*

Magnum & mirabile nobis speculum propositum Salomon fatuus & flagitiosus. In eo se primo aspectu potuit contemplari homo negotiosus, qui negotiis mersus, sollicitudinibus ac curis sepultus, sensim ducitur ad interitum.

Nunc alia nos respicit hujus speculi imago, *Salomon inconstans*. Eheu, cœpit optimè, annis aliquot eo pede perrexit, adhæsit, Numini charus. Sed exteriorum sollicitudo gradatim cor ejus à Deo sic abduxit, ut non difficulter subreperet divinorum oblivio. Hinc *Salomon inconstans*, & totus à seipso alius. De quo hoc capitē disseremus, unáque docebimus, qui manibus ac pedibus reluctandum ne talis in foveam nos trahat Inconstantia.

(a) *Plutarchus parte 2. moral. dial. de cohib. Ira.*

(b) *Sen. lib. 2. de Ira, cap. 36. initio.*

§. I.

Græcus interpres Pelagius, priscorum Patrum dicta referens: Abbas Mathois, inquit, dicere solebat: Malo aliquod leve opus & continuum, quàm grave quod citò finiatur. Sub regni primordia Salomonis oratio pro-

prolixissima, sensu plena, optimis affectibus distincta: Qui præstitisti, ait servo tuo David patri meo, quæcunque locutus fueras ei; & quæ ore promiseras, opere complesti. Et nunc Domine Deus Israël firmetur sermo tuus.(a) Sed heus, ô Salomon, firmetur cor tuum: Deus tibi non deerit, tu modo non desis illi. Saul præclarè orsus est, non diu in officio perstitit, flagitiosissimè finivit. A fronte virgo, tergum refert serpentem. Gloria Salomonis ingens, sed, Siracide teste, dedit maculam in gloriâ sua.(b) Rectissimè dixit Bernardus: Si cautela Samsonis, si Salomonis devotio perseverantiam retinuissent, nec is profectò privaretur sapientiâ, nec ille viribus. Quem cautum non faciat Salomon, impellátque ad assiduas impetrandæ perseverantiæ preces?

Tot sapientes, tot sanctos viros cernimus in perniciem extremam lapsos. Hinc nemini non metuenda fovea, quæ tot magna sorbuit non cadaverum sed animorum funera. Origenes & Tertullianus, ô superi, quales, in quale abierunt præcipitium? Origenes ingenii eminentissimi, quod cum Augustini acumine certet, in exponendis bibliis magister, mortis pro Christo subeundæ ardentissimus, capto patre, à matre vix retineri potuit, ne se ultro gladiis sævientium offerret, parenti litteras in carcerem misit, quibus eum hortatus est ut mortem fortiter toleraret. Et ipsemet Origenes quanta tulit pro religione, quàm sanctis & castis mori-

(a) 2 *Par. cap. 6. vers. 15. & 17.*
(b) *Eccli. cap. 47. vers. 22.*

moribus? Ah lapſus eſt demum, & extra ſepta Eccleſiæ ejectus, libros implevit erroribus: num Diis ſacrificarit incertum.

Heu, heu nos miſeros, quàm totus homuncio nil eſt!

Tertullianus presbyter, quemadmodum Origenes, quàm nobilis & eruditus ſcriptor. At ubi Catholicorum ſacra deſeruit, quàm acerbè illos impugnavit, quantùm contra illos ſæviit: apertus demum hæreſiarcha; à quo Tertullianiſtæ. O Lucifer! quomodo cecidiſti de cælo Lucifer?

Heraclius optimus, feliciſſimus Imperator quamdiu pius? imperium ſub eo florentiſſimum, quamdiu verè Chriſtianum? At ubi mutatio in contrarium facta eſt, antiquos Heraclius mores exuit, tam alius à priore factus, ut ad Cæſaris Baronii opinionem, vix Imperatorum ullus adeò rei Chriſtianæ nocuerit. (a) Nam habenas hæreſibus laxavit, Mahometis aſſeclas & Monothelitas toleravit, peſſumdedit imperium. Domine quid eſt homo? folium quod quovis vento, quod gracili aurâ rapitur.

Iuſtinianus Imperator quàm ſubitò & prodigiosè mutatus in alium? templa, quæ ipſe ornaverat ſpoliari permiſit. Vigilium Pontificem quàm variè afflixit? quàm ſævas in Catholicos quæſtiones exercuit? Reſipuit quidem, ſed denuo in eandem relapſius eſt dementiam. Cùm autem Anaſtaſio Antiocheno Antiſtiti ejúſque ſacerdotibus jam indixiſſet exilium, ſubitò nocte mediâ ad tribunal Chriſti evocatus eſt. Quid ſenten-
tia

(a) Baron. de eo anno 631.

tiæ acceperit scire homini nefas. Mallet Baronius cum Evagrio damnatum eum credere quàm beatum. (a)

Antiochus Epiphanes, seu, Illustris, bonus puer, malus juvenis, pessimus vir. Profecit certè moribus, ut lupi; quò adultiores, hoc crudeliores. Rex Angliæ Henricus VIII. quàm bene cœpit, quàm malè finiit? Tam illustre sibi nomen promeritus est, ut *Ecclesiæ Defensor* diceretur. Sed posterioribus factis laudem omnem corrupit; turpissimè defecit. Domine quid est homo? quàm versatilis, quàm lubricus, quàm commutabilis, quàm momentaneus. Quis hominum ipse sibi fidat? Quot reges alii annis compluribus sanctè vixerunt, sanctimoniam demum omnem exuerunt.

Asa optimus regum, cujus nunquam sine gemitu & miseratione memini, triginta novem annis piè sanctéque Deum coluit, & virtutis archetypon haberi potuit. Hinc concessum illi testimonium è cælo istud: Cor Asa perfectum. Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus. (b) Sub ultimam denique ætatem priora hæc omnia corrupit. Idcirco ab Hanani vate reprehensus est acriter quod egisset stultè ac majorem in rege Syriæ quàm in Domino Deo fiduciam habuisset. (c) Iratus rex Asa jussit in nervum compingi vatem & plurimos è plebe interfici. Ex eo tempore bellis afflictatus & morbis, cùm dolore pe-

(a) *Baron. an.* 565. *Spondanus, mihi pag.* 634.
(b) 2 *Par. cap.* 15. *vers.* 17.
(c) 3 *Reg. cap.* 15. *vers.* 11.

pedum vehementiſſimo corriperetur (quod Regum Chronicon affirmat) nec in infirmitate ſuâ quæſivit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt. (a) O initia pii reges præclariſſima! ô vitam tot annis laudatiſſimam! ô finem illi diſſimillimum! Ordimur cum Deo, diabolus ſibi rapit exitum.

Quot ſanctorum eremicolarum, quot religioſorum hominum parcè ac duriter ſe habuerunt annis quadraginta vel etiam quinquaginta & pluribus Deo ſtrenuè deſervierunt; tandem eis defuit diadema virtutum perſeverantia: ita ſtructuram quam viginti, triginta, imò etiam quinquaginta annis labore magno eduxerant, horâ unâ ſubruerunt. O miſerum, ter miſerum Heronem (nota cano) qui annis quinquaginta religioſiſſimè Deo ſerviit, demum ſeſe in puteum, tanquam cæleſti voce monitus præcipitavit. Nec perſuaderi potuit jam extractus, eò cacodæmonis fraudibus ſe impulſum.

Non iſta nos reddant cautos & eatenus ſollicitos ut quot diebus, imò quot horis vociferemur ad Deum: Domine Conſtantiam, da Domine perſeverantiam: Ne projicias me in tempore ſenectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. (b) Clauſula dierum omnium Conſtantia, horis omnibus, idque ſæpius petenda? Quid enim fragiles myricæ faciant, quid graciles betulæ non metuant, ſi robuſtiſſimas quercus, ſi

(a) *2 Par. cap. 16. verſ. 12.*
(b) *Pſal. 70. verſ. 9.*

si altissimas cedros dejiciat ventus? O Salomon, Salomon! quantum tibi gratulamur, cum sapientem te ac pium cernimus; tantum nobis metuimus, cum amentem te impiumque spectamus.

Verum enimverò licet multa sint quæ terreant, sollicitent, angantque; sunt tamen non pauca, quæ animos addant & ad generosiores excitent conatus.

I. Deus omnem nobis opem liberalissime promittit, modo non recusemus juvari. Salomoni Deus benignissimè pollicitus: Tu quoque, ait, si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus in simplicitate cordis & in æquitate: & feceris omnia quæ præcepi tibi, & legitima mea, & judicia mea servaveris, ponam thronum regni tui super Israël sempiternum. Si autem aversione aversi fueritis vos & filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea &c. auferam Israël de superficie terræ quam dedi eis, & templum quod sanctificavi nomini meo, projiciam à conspectu meo, eritque Israël in proverbium & in fabulam cunctis populis. Et domus hæc erit in exemplum: omnis qui transierit per eam, stupebit, & sibilabit, & dicet: Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic? Et respondebunt. Quia dereliquerunt Dominum Deum suum. (a) Deus desertus deserit: abjectus abjicit.

II. An non subsidiorum satis est tuendæ Constantiæ, divina sacramenta, cæleste ac juge sacrificium, orationes, exhortationes,

O exem-

(a) *3 Reg. c. 9. v. 4. & seqq.*

exempla sanctorum, tutela Angelorum, spiritales libri, instinctus divini, tot alia præsidia? Cùm ergo talibus circummuniti simus propugnaculis, non liceat pro se cuique dicere: In Deo meo transgrediar murum: (a) Omnia possum in eo qui me confortat. (b) In priscâ lege neutiquã tam multum suppetebat auxiliorum, illi tamen cantabant: Iustus quasi fundamentum sempiternum. (c) Quantò istud fidentiùs nunc cantabimus?

III. Nos sæpe panicis agitamur terroribus, & solo miseriæ metu prius miseri sumus quàm esse debeamus: difficiles pugnas, calamitates prolixas, tentationes nimis arduas, & vix ab ullo superandas in animo fingimus. Et quando nobis sat diu, sat grandia videmur passi, tandem in malignas voces erumpimus: Miseriarum me premit cumulus, nec tamen finis apparet ullus. Quamdiu hæc? quamdiu illa? Et cujus in his duret vel cornea fibra? Nimium longus est miseriarum ordo. O boni mortales, sola æternitas est longa; sola beatitudo, damnatio sola non habent finem. Alia omnia brevissimis clauduntur terminis. Illorum finis qui nos insectantur & lacerant, vicinus, proximus est, sed eum nostri oculi non cernunt. Potuerunt illi & illæ, juvante Deo, ad supremam usque constantiam durare, cur nos desperemus id posse? Deus dives est in omnes qui invocant illum. (d) Nullus speravit in Domino, & confusus est. (e)

IV. Et

(a) *Psal.* 17. (b) *Philip. c.* 4.
(c) *Prov. c.* 10. *v.* 25. (d) *Ephes. c.* 2.
(e) *Eccli. c.* 2. *v.* 11.

IV. Et quantam in pluribus aliis Constantiam spectamus? Tyrtæus, Suidâ teste, Messanam annis viginti obsidione cinctam tenuit, vigesimo cepit. Lacedæmonii jurarunt aut morituros aut Messanam capturos. Oraculo moniti Tyrtæum poëtam & quidem claudum ab Athieniensibus petierunt. Ille constantiâ magis quàm armorum vi expugnavit urbem.

Fabricius cum copiis adversus Pyrrhum missus, à virtute jam Regi notus, cùm è regione fixisset castra, venit è Pyrrhi famulitio regius minister, qui argenteum poscens præmium, in Pyrrhi necem auctorâbat manum, spondebatque regem veneno certò tollendum. Fabricius virtutis suæ memor hunc ipsum sponsorem vinctum, detectis per litteras insidiis regi tradidit. At Pyrrhus re cognitâ voce altâ succlamans: Hic est, inquit, & nullus alius, ille Fabricius, quem difficiliùs à suâ virtute, quàm à consuetâ viâ solem averteris. Sed ut atrori candor respondeat, Salomoni tam inconstanti Theodosium opponimus.

In Theodosio natu majore admiranda multa, præcipuè quæ Constantiam spectant. Constantinus Magnus, unà cum filio, Iovianus, Valentinianus & filii oderunt quidem idololatriam, suas tamen cuique religiones permiserunt liberas, nec priorum Imperatorum ullus inanium Deorum cultum penitus evertit; Theodosius primus fuit qui idololatriam funditus abolevit, altaria & delubra diruit & solo adæquavit: verè Christianus, Theodoreto teste, verè

constantissimus. Deinde Pœnitentia Davidis seria quidem & severa, sed tamen privata; domi luxit, in abdito flevit. Theodosius vero qui præcipitante irâ Thessalonicam afflixit, non seriam tantum & severam, sed publicam & diuturnam egit pœnitentiam; ita jubente Ambrosio, qui eum templo, sacris omnibus, & piorum societate octo mensibus exclusit. Quo quidem temporis spatio fuerunt Theodosio lacrimæ panes die ac nocte. (*a*) Exacto pœnitentiæ tempore Theodosius in templo publico coram omni populo humi stratus, lacrimis infusus, frontem allisit solo, noxam fassus, veniam precatus est. Ita Deo, ita & Ambrosio ceterisque sacerdotibus, universæ plebi, totique Ecclesiæ satisfecit. Hoc Orientis & Occidentis Imperator exemplum pœnitentiæ constantis præbuit. Illud profecto mirissimum, cum eum Ambrosius è choro jussisset facessere, & inter plebem stare, Gratias egit Ambrosio quod eam differentiam inter sacerdotes & vulgus Constantinopoli discere non potuisset. Et quod Constantiam reddat testatiorem, Ambrosius pro concione funebri hunc Cæsarem dilaudans: Neque ullus, inquit, posteà dies fuit, quo non illum doleret errorem. Peccatum ipsius contra ipsum fuit semper. O Salomon, Salomon quantos habes reges non jam quos doceas sapientiam, sed à quibus discas constantiam.

V. Post inspecta Constantiæ tot documenta & exempla, statue apud animum tuum,

(a) *Psal.* 41. *v.* 4.

tuum,uno ſaltem die Conſtantiam exercere. Luce alterâ id promptius fiet, tertia promptiſſimè.Id interim aſſiduè à Deo petendum. Nec enim habituali ſolum,ut vocant,gratiâ,ſed gratuito inſuper Dei auxilio eſt opus. Voces Dei novimus: Miſérebor, cujus miſereor,& miſericordiam præſtabo, cui miſerebor. *(a)* Perſeverantia quæ ultimam vitæ manum imponit,nullis precibus, nullis lacrimis, nullis jejuniis, promeritis nullis obtineri poteſt;*(b)* donum eſt,& gratuitum. Quemadmodum verò Eliſæus duplicem ſibi Eliæ ſpiritum poſtulavit,ita nobis duplici opus firmitate, Conſtantiâ operis,& Perſeverantiâ vitæ.Conſtantia operis nonnunquam præclarè multa inchoat, ſed actiones non perpetuat; poſt aliquot nobiliores actus laſſeſcit & cadit. Hic Perſeverantia ſubveniat neceſſe eſt jubeatq;: à calce ad carceres decurre,perage inceptum opus, elabora, bonam appone clauſulam, finem adde laudabilem. Hoc opus,hic labor. Hic Rhodus, hic ſaltus. Idcirco Mathoïs,quem laudavi ſupra,dicere ſolebat: Malo aliquod leve opus & continuum, quam grave ſed cito finiendum. Ita conſultius agit & ſanctius qui gulam quotidiana quamvis leviore frangit abſtinentiâ conſtanter, quam qui Paraſceves feriis totum triduum jejuniis ducit rigidiſſimis. Perſeverantia virtutum omnium corona, niſi ea vitam ſanctè concludat,inutilis & vanus eſt prior omnis labor. Omnes aliæ virtutes pugnant, ſola

(a) *Rom. c. 9. v. 15.*
(b) *De condigno.*

triumphat Perseverantia. Hinc Augustinus monet: Quamdiu quis vivit, nequit dici perseverans, nisi perseveret in bono (a) Dei amor ad supremum usque halitum perducendus. Beatus Maximus Præsul: Me, inquit, laudaveris hominem in vitâ suâ. Lauda post vitam, magnifica post consummationem. (b)

Hîc acclamant omnes ex alto cælites, omnes in terrâ Christi familiares, ut tam Constantiã exerceamus, quam desideremus Perseverantiam. Vociferatur Paulus: Miror quod sic tam citò transferimini. (c) Fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles. (d)

Alexander Rex Macedo post magnam belli molem jam superatam, duces suos in prætorium convocans, non sine lacrimis questus est inique sibi victoriam eripi.

Nos ita prorsus ratiocinamur. Quisque sibi dicat: Quid agis torpide? Eorum quæ tibi perpetienda partem maximam perpessus es, restat particula vitæ, proximus ad metã es, & recedere vis aut deficere? O passi graviora! Siracides clamat: Væ his qui perdiderunt sustinentiam Ne ergo dederis maculam in gloriâ tuâ. Esto firmus in viâ Domini. (e) Iam pæne manu prendis coronam & palmam. Cave ne ipse tibi obsis: victoriam jam ferè certam ne interpellari, ne corrumpi, nec extorqueri patiaris. Bis vicisti,

(a) *Aug. l. de Perseu.* (b) *Max hom. 59. quæ est 2. de S. Euseb. Vercellensi*

(c) *Gal. c. 1. v. 6.* (d) *Gal. c. 6.*

(e) *Eccli. cap. 2. v. 16. & c. 33. v. 24. & c. 11. v. 22.*

vicisti, si uti noris victoriâ. Clamat Angelus: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. (a) Cum è Sebastenis quadraginta martyribus, quos Basilius laudat, terroribus humanis unus succubuisset, vitam momento servaturus, & æternum moriturus, mox alius in ejus locum successit, rapuitque palmam quam alter contemptim perdidit. Ergo stabiles estote & immobiles. Suis Deus promissis stabit: Triumphabit Perseverantia.

(a) *Apoc. c. 3. v. 11.*

CAPVT III.
Salomon Prodigus.

SVadebat Socrates discipulis quos scientiis erudierat, ut speculum sæpius consulerent eo animo, ut si quis liberaliorem in se formam spectaret, ipse sibi diceret: Natura tibi gratiam fecit, quam plurimis non fecit. Sed tu cave, de te dicatur, Venustus vultus, sed turpes mores: Pulchra domus foris & picta, sed nequam dominus eam habitat. Quod si deformior sit vultus, qui objurgetur à speculo, dicat sibi ipse spectator: En deformitatem! nisi ergo bonis litteris naves operam, & discas quæ hominem commendent, nusquam gratus eris; nusquam non dicetur: Apage hunc Thersiten, & formâ & doctrinâ caret, illiteratus & turpis. Bonis ergo moribus & artibus te commenda, ceteroqui negligendum. Hac mente Socrates à suis speculum volebat inspici.

Regem Hebræum Salomonem Deus, Orbi proposuit in speculum. Hoc autem, tam homines buxei cereique vultus, quam probi ac vividi coloris, tam deformes quàm formosos repræsentat, & illi & isti se nosse hinc possunt si velint, castus & impurus, submissus & superbus, liberalis & avarus tuos hic mores cernunt. De Salomone Liberali in priori parte dictum est. Atqui novimus cuilibet virtuti hostem ab utroque latere insidiari: ita sane Liberalitas non solum hinc Avaritiam, sed illinc Prodigalitatem etiam habet adversantem. Postquam Salomon Liberalitati nuntium remisit, mox geminos illius hostes hospitio suscepit, & Prodigus fuit & Avarus. Prodigum fuisse hoc capite demonstrabimus, & simul de hujus vitii damnis monebimus.

§. I.

Quatuor ferè prodigalitatis specimina dedit Salomon. Primum, angustius fecit regnum, aliquot urbibus ab eo avulsis. Nam, quod Regum fasti docent: Dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ. *(a)* Sunt qui avaritiam istud interpretentur, cum tellus infecunda & valetudini parum amica fuerit. Idcirco etiam Hiramus eo præmio non contentus: Hæccine sunt civitates, inquit, quas dedisti mihi frater? Alii tamen has urbes Hiramo datas prodigalitatem nominant, quod cum dare potuisset frumentum, oleum, pecuniam, dare tamen maluerit prædia & latifundia quæ si-

(a) *3 Reg. c. 9, v. 11.*

ſic à terra ſancta ſunt abſciſſa, & in poteſtatem gentium redacta.

Secundum prodigalitatis ſpecimen illuſtriſſimum, equitatus maximus: nam univerſe quinquaginta ſeptem millia & ſexcentos equos habuit: Nam duodecim millia equorum ad ephippium; quadraginta millia currulium & vectariorum aluit. Quod Deus per Moſen expreſſe prohibens: Cumque conſtitutus fuerit rex, inquit, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſublevatus. (a) Hic non de ſumptu tantum res erat, ſed ne fiducia in Deum aliquid detrimenti pateretur.

Tertium: Gynæceum nimis quam copioſum nutriit, uxores nimis multas duxit. Regum Annales aſſerunt: Fueruntque ei uxores, quaſi reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ. (b) O boni cælites! quanti greges feminarum! Ratiocinemur hunc in modum, & calculum ponamus quam licet modeſtiſſimum; Reginis ſeptingentis ſuas cuique famulas aſſignemus, & uni quidem Reginæ ſex ſolum pediſſequas tribuamus. Comitatus ſanè minimus tam altis faſtigiis. Trecentis ceteris, quæ magni nominis & proſapiæ nobiliſſimæ fuerunt, non niſi tres cuique famulas concedamus, erunt universè feminarum 5400. Superi! quis unquam Regum ſimilem feminarum exercitum in ædibus ſuis nutriendum conſcripſit? quis tam numeroſam gynæconitidem

 unquam

(a) *Deuter. c. 17. v. 16.*
(b) *3 Reg. c. 11. v. 3.*

unquam habuit? Expendamus pro tot delicatissimis mulieribus quotidianæ mensrationes, convivia, ludos, donaria, mundum muliebrem, aurum, gemmas, rem omnem vestiariam. Quantum divitiarum una talis femina, vel aure unica gestare solita est? Angustè rem attingens Seneca Non satis, inquit, nisi bina vel terna patrimonia auribus pependissent. *(a)* Vna plerunque auris tres ferebat uniones, quos Arbiter Tribaccam nominat. Pretium horum infimum decies HS. viginti quatuor millia philippeorum. Plerunque centies HS. ducenta quinquaginta millia philippeorum; *(b)* Imo & sexcenties HS. sive quindecies centena millia philippeorum. *(c)* Lollia nobilis Romana femina vulgaribus feriis, quadringenties HS. seu, decies centena millia philippeorum *(d)* uno corporis cultu circumtulit. Senecæ objectum: Quare uxor tua (Paullina) censum locupletis domus auribus gerit? *(e)* Quid jam reginæ fecerint, & quidem septingentæ, insuper & ethnicæ quæ omnem pæne gloriam à mundo muliebri corporisque cultu venabantur? Quisquis hos sumptus immensos ad calculum revocarit nec prodigum mirabitur Salomonem, nec avarum, cui annui census maximi non suffecerunt. Hinc exhausto per incredibiles sumptus

(a) *Sen. l. 7. de benef. c 9. v, 1.*
(b) Dritthalb thonnen Golds.
(c) Anderthalb million Golds.
(d) Million Golds. *Pl l 9. Nat. hist. c. 35.*
(e) *Sen. l. de beata vita c. 17.*

ptus ærario laborare cœpit ut denuo farciret quod decesserat.

Quartum Prodigalitatis specimen, delubra idolis structa. Nemo Salomonem prodigum dixit quod aureum Deo templum condiderit, quod urbem pro domo sibimet ædificarit, quod alibi civitates à fundamentis eduxerit, civica ædificia complura struxerit. Hi sumptus omnes nec ipsum nec subditos depauperabunt. Sed cum insuper tot idolis templa conderet, sacrificia & dona largiretur, extremæ dementiæ profusio censenda fuit. Hoc Dei nomine Oseas exprobrans: Ego, inquit, dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum quæ fecerunt Baal. (a) Diabolus divinorum nequissimus æmulator, alterum tantum in illas idololatriæ sordes extorsit. Hanc Salomonis prodigalitatem obstupescens Maluenda eam cum iniquissimis Antichristi & parsimoniis & profusionibus confert. Nam licet thesauros Antichristus sit habiturus, Christianos nihilominus extreme fortunis omnibus emunget. Sed atro suum candidum adstituamus.

Tertius Sabaudiæ Dux Amadeus, princeps ad amussim factus virtutis, in pauperes pater, in Christum crucifixum merus affectus, cor merum. Hinc cum conjuge Iolanda sacras peregrinationes pedes obiit ad Christi sindonem Vesontione, ut animo tanto altius Christi Domini cruciatus infigeret. Salomoni Amadeus ex adverso stans Parsimoniæ virtutem non sine admiratione ac

(a) *Osea c. 2. v. 8.*

ac laude exercuit. Majestatem principis alenda numerosa familia tueri scivit. Adversus Asiaticum hostem copias, sed & in fratres hostiles exercitum duxit. Ædificia struxit magnifica, nec ullas principis partes in se desiderari passus est. In templa, Xenodochia, cœnobia largitiones amplas plurimas è suo præbuit. In egenos omnes talis extitit, ut inter liberalissimos & Imperatores prototypon & idea censeri possit. Fratribus, qui eum principatu amovere nitebantur, supra meritum eorum dedit; sororibus dignas se dotes addixit. Tributa, exactiones, vectigalia nec obolo amplificavit, sed prout ea à suis majoribus & pluribus retro annis ea reperit constituta, ita retinuit, & tamen terras & prædia quæ majores ipsius pignori apposuerant, moneta præsenti recuperavit. Hæc Christiana & ex virtute parsimonia fuit, maximum in augenda re familiari vectigal. Salomon Regnum ditissimum invenit sed depauperavit: hic pauperrimum principatum reperit, sed ditavit. Opum bene partarum caussa: Prodigus non fuit.

Non esse prodigum grande vectigal est:
Non esse cupidum, primum ditescendi compendium est.
In omnibus esse moderatū certa sunt divitia.

Prodigalitas innumeris se rebus miscet, prout sua quemq; trahit voluptas. Sunt qui pecunias effundant in supellectilem, in canes alii & equos; aliqui in tesseras & abacum lusorium; nonnemo in choreas, in symphoniam, in theatrum & scenas; quidam in

in vanas scientias. Hic suos quisque manes patimur. Communis hoc ævo rem confringendi furor est in vestes & convivia. Sed ut prodigalitatis indolem noverimus, eam Theologiæ sol Thomas ita depingit: Superexcessus prodigalitatis non attenditur principaliter secundum quantitatem dati, sed magis in quantum excedit id quod fieri oportet. *(a)* Eam ob caussam nemo dixerit: Vestes meæ, meaque convivia tam immensis sumptibus non egent. Esto. At quia studiosissime quidem sed vanissime laboramus ut tam vestium quàm conviviorum luxu nos ostentemus, alios nobiscum certantes superemus, gloriolæ aliquid inde reportemus; hæc mentis intemperies prodigalitatem roborat. Etenim, aut istis dandum non est, aut non isto modo, aut non propter ista, aut certe minus est dandum. Observarat Chilon juvenem utraque manu effuse largientem, hunc ille suaviter corripiens: Si sumptus, inquit, magnos ubi non decet feceris, ubi decet mox exiguos facies. Experientia & usus hic loquuntur: Qui tam multa vestibus & conviviis impendunt, plerunque familiæ suæ in necessario sumptu desunt. Quod enim in superfluis perdunt, in necessariis comparcere volunt. Pecunia ab eis ad expensas quotidianas extorquetur difficillime. Ita, quod mirum est, in eodem sæpe pectore & prodigalitas habitat & avaritia. Peccatum utraque. De avaritia liquet. De prodigalitate Thomas Aquinas pronuntians: Cum, inquit, virtuti libe-

(a) *S. Thom. 2. 2. q. 119. c. 2.*

liberalitatis prodigalitas adversetur, ipsa est necessario peccatum.

Hoc verò peccatum non ab expensarum multitudine sed à dandi immoderatione gravitatem turpem sortitur: nam liberalis sæpe plura largitur prodigo; immoderatio erogandi turpitudinem peccati auget, cùm sumptus in res non necessarias, inutiles, supervacaneas fiunt aut modo non congruo. Nam quemadmodum largus homo non dicitur, cui pallium aut pileum ventus aufert, nec arbor larga censetur, cui ventus poma vel pira excutit, ita nec vera liberalitas est cui aura vanæ gloriæ nummos subtrahit, cum aut iis datur, ad quos affectus tendit, aut iis qui jam ante abundant. In vasa plena mittere, reverà laudis non est. Venuste dixit beatus Prosper: Habentibus dare, quid est nisi sua perdere. *(a)* Cum Hebræa vidua Elisæi jussu oleum in vacua vasa funderet, tunc oleum fluere cessàvit, cùm vas vacuum defuit. *(b)* Nec aliter canit cælestis virgo: Esurientes implevit bonis.

Prodigalitas plerunque à duobus ingentibus malis stipatur. Primum est, cum prodigus non amplius habet quod eroget, furtive circumspicit unde accipiat. Frequenter aliena rapiat, qui sua jam ligurivit. Iuvenalis caute monet ne quis ultra culinæ suæ modulum coquat, alioquin certo decocturus.

Noscenda est mensura tui, spectandaque rebus
In summis miminisque: etiam cum piscis emetur.

Ne

(a) *Prosp. de vita contemplat.*
(b) 4 *Reg. cap.* 4.

Ne multum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis ———
Talibus à dominis, post cuncta novissimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.(a)

Petiit quondam Socrates, ab ejuscemodi decoctore minam unam, seu decem philippeos. Subiratus ille: Ab aliis, inquit, asses & sestertios petis, cur à me poscis tam multum? Cui Socrates: Ab aliis, ait, me iterum iterumque spero accepturum; num etiam à te, nescio. Hoc innuit vir sapiens, illum ita ligurire ac effundere, ut brevi habiturus non sit quod amplius effundat. Nocumentum hoc prodigalitatis magnum est procul dubio, & omnibus sedulo cavendum.

Alterum est: Prodigalitas non solum pecuniam sed & famam perdit. Volat per ora virûm prodigus, sed his potissimum encomiis afficitur: Hic homo rem suam confregit, patrimonium effudit, verbo, decoxit: (b) Nimirum sibi persuaserat suum marsupium multo esse pinguius quam erat. Nunc versuram facit: (c) sed non diu faciet, nec enim loculorum inaniæ diu tegi poterunt. Bonus nepos postquam omnia ligurivit & sorbuit, jam cottabo ludet, aut proterviam faciet. Hi sermones in decoctorem & prodigum dicuntur.

Quisquis es hujus genii, speculum quod proposuimus, inspice; consider Salomonem, qui opes à Deo concessas pessime dissipa-

(a) *Iuven. sat.* 11 *v.* 43. (b) Hat alles verthon. (c) Bricht ein Loch auff / damit er ein anders zu mach.

sipavit, turpiter iis abusus. Ita Deus deserentem se paulatim deseruit, & ab eo, qui prius recesserat à se, recessit suaque dona repetiit. Eam ob rem frequentes sunt Ecclesiæ preces: Sic transeamus per bona temporalia ut non amittamus æterna.

Suam quisque conscientiam sæpius interroget hunc in modum: Num expensæ meæ, quales esse debent, consideratæ sunt & moderatæ? Num mihi amplior, quàm par sit, supellex? num familia plus æquo numeratior? num plures aut pretiosiores, quam necesse, vestes? Num mensa debito delicatior & lautior? Quos in usus insumo pecunias? an non etiam in vanos, inutiles, superfluos? num mea forsan munera in vasa mitto jam antè plena? Omnes pecuniæ tuæ anfractus & vias scrutare. Brevi ante judicem stabis qui rationes exiget à te usque ad quadrantem novissimum. Christus Dominus prodigalitatem omnem, vel in rebus minimis odit, idcirco etiam non semel jussit: Colligite quæ superaverunt fragmenta ne quid pereat. (*a*) Tu facultates, quas accepisti sic tracta, ne quid pereat. Servus es fructuarius, non dominus absolutus.

(a) *Ioan. cap. 6.*

CAPUT IV.

Salomon Avarus.

PAucorum annorum spatio ita mutatur homo, ut non tantum mutatus sed alius videri possit. Qui puerulum septen-

ptennem vidit, si eundem post annos viginti videat, juvenem esse ignotum credit, & nunquam sibi visum. Has humani ævi mutationes observans Naso ita cecinit:

Cùmque aliquis dicet: Fuit hæc formosa, dòlebis,
Et speculum mendax esse querêre tuum.

Salomonem in parte priori vidimus tam liberalem, ut pæne quis optaverit aut illo ævo vixisse, aut sæculum illud aureum redire. Omnis populus Hierosolymis opulentissimus, divitiis ut saxis abundabat. Fecerat namque rex Salomon, ut tanta esset abundantia Argenti in Jerusalem, quanta & lapidum. Argentum factum vix ullius pretii. Nemo censebatur dives, cui non aurea moneta, pocula essent aurea.

At vices tam turpiter mutarunt, ut è Salomone liberalissimo rege factus sit avarus exactor. Hinc debitus illi titulus: *Salomon avarus*. Opes corrasit, undecunque potuit. Nec ipse diffitetur: Coacervavi mihi aurum & argentum. *(a)* Sed obsecro quî tandem fieri potuit, ut inter annuos census tam immensos ex omni Orbe collectos, loci aliquid invenerit avara pauperies? Septem auri fontes in parte alterâ lustravimus: Num omnes exhausti? Ad extremum omnes? Fluebant illi quidem sed illas tot ligurientium voragines non explebant. Fortunæ demum nullæ suppetebant sumptibus. Quid caussarum quæso? Duas assignabimus, & Salomoni avaro regi, liberalissimum Imperatorem Christianum adstituemus.

(a) *Eccles. cap.* 2.

§. I.

Sapientiſſimè dixit Plutarchus & veriſſime: Cupidinum crumena porri folio vincta eſt. Porrum gravis odoris herba, lactucas, offas, aliaque hujuſcemodi fercula videtur commendare, ſed oculos lædit, capiti officit, ſtomachum non juvat, in totum diem halitum inficit, crumenas peſſimè vincit. Hinc iſtud Sapientis Græci: Cupidinis loculos porrum ligat. Hic dicti ſenſus eſt: Ubi amatur, petitur. Libido hiantes ſemper & apertos vult loculos: ſemper dandum eſt. Nimirum Veneri plenis ſacrificatur marſupiis Ideo prodigo illi juveni crumenâ jam deplerâ occentatum eſt. Si dare non potes, mendicare potes; foràs, foràs.

Priuſquam Salomon pravis amoribus arderet, cùm templum ſtrueret, cùm ſibi domum educeret, tam ipſe quàm ipſius ſubditi argento & auro abundabat? Vbi tot uxorum tot pellicum parare thalamos cæpit, nec ipſi ſuppetebant opes, nec aliis. Hinc factus avariſſimus è duplici radice, Idololatriâ & prodigalitate.

Impura prodigalitas avarum reddidit. Nam ut ſemper haberet quod daret, ſeverioribus ſuos exactionibus fatigavit, præſertim jam ſenectutis morbo admotus. Quò ſeniores, plerunque avariores. Cùm enim ſenes ſentiant caducam ætatis ſuæ valetudinem, ſumptus augeri notent, & facilem ad egeſtatem tranſitum formident, undequaque corradunt. Si jam modica in Deum diffi-

diffidentia conjungatur, futurum pecuniæ defectum incredibiliter metuunt. Nec solùm istud Salomonem in curas tam sordidas dejecit, sed cùm animadverteret expensas fore demum intolerabiles, ut capta perpetuare posset, in subditos exactione variâ grassari cœpit. Summa summarum, pravus & Cupidineus amor solutis & semper respondentibus gaudet loculis. Hinc Venus priscis aurea & sumptuosa:

—*solas petit improba nummos.*(a)

Amor divinus hanc unam sequitur legem: *Amo ut ames.* Amor fœdus identidem occinit, *Amo ut des.* Quod adstruens Ambrosius: Non parcunt, inquit, dispendio, dum indulgent cupiditati & desiderio.(*b*) Cupidines crumenas nummis exhauriunt, fœtoribus implent. Atque hæc prima est caussa quæ Salomonem reddit avarum, impura prodigalitas.

Altera gravius priori malum, Idololatria, Vociferatur Paulus: Mortificate ergo concupiscentiam malam & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus.(*c*) Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditaten in regno Christi & Dei (*d*) Num igitur non alii sunt in Orbe quid delinquant nisi avari & immundi? Videte igitur quâ ratione Paulus tenaces & lascivos prcnuntiet exhæredatos.

(a) *Ovid. l. 1. fast. eleg. 1.*
(b) *Ambros. l. de Naboth c. 5.*
(c) *Coloss. cap. 3. v. 5.*
(d) *Ephes. cap. 5. vers. 5.*

Quemadmodum pecuniæ ſitiens inexplebilis eſt pecuniâ,ita libidinis appetens non ſaturatur luxuriâ. Sicut ſine fundo ſunt hæc vitia; ita hi tales vitioſi nequitiam non finiunt, niſi cùm ulteriùs progredi nequeunt.

Cur autem avaritia præ ceteris vitiis idolorum ſervitus appellatur? Avarus omne victûs ac vitæ ſubſidium in nummis collocat:ita pecunia illi veluti Dea colitur;Plutus ei Deus eſt, à quo omnem vivendi uſum ſperat. Deinde idololatræ argentum & aurum adorant: avari argenteas & aureas monetas ſummè venerantur. Et quemadmodum idola illi non tangunt Numinis reverentiâ; ita Eucliones illi tangere verentur rutilantes in arcâ Deos. Horatius talem irridens canit:

——Congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, —— aut pictis tanquam gaudere tabellis.(a)

Avarus colligit pecuniam, non ut expendat, ſed ut ſervet ac cuſtodiat, eique ut ſoſpitatrici Deæ ſerviat. Nulla ferè cupiditas minùs ſatiabilis quàm nummorum; aliæ ſenio vel nauſeâ decreſcunt, aliquanto ſaltem tempore: avaritia creſcere non ceſſat:

Creſcit amor numi quantùm ipſa pecunia creſcit.
Quò plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ.

Sic animus cupiditate tam inſaturabili ſubmergitur,

(a) *Horat.*

mergitur, & abit in profundum cupiditatis vitiosæ. Deinde id alicui pro Numine est, quod semper gerit animo, in quod omnis ejus effervescit amor, quò cogitationes omnes & curæ tendunt, in quo totus est homo. Quod reverâ, ut Chrysostomus loquitur, non est hyperbolicè dictum sed verè. Nam avari non tantùm curas, sed & cogitationes suas, imò etiam humanas victimas, seipsos mactant Deæ pecuniæ. Prætereà eam etiam ob caussam avaritia idolorum servitus appellatur, quoniam ab avaritiâ ad idololatriam facilis flexus est. Quod Paulus clarissimè adstruens: Radix, inquit, omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide.*(a)*

Aristophontem, quod Ælianus narrat, Timotheus ut hominem prodigum & decoctorem acerbiore dicto perstringens: Cui nihil satis est, inquit, eidem etiam nihil turpe est. Talis audet omnia: comminiscitur insidias, fraudes, fallacias, turpitudines, proditiones, nullum horret nefas, nec ipsam idololatriam. Avaro licent omnia quæ expediunt. Satis esse censet sanctimoniæ, ubi satis pecuniæ. Nimirum non honores solùm Regina pecunia confert, sed & sanctos mores. Homo ad votum nummatus aut est omnia, aut esse tentat omnia. Quid in orbe monstrosi mali est, quod non progignat mater Avaritia?

Thomas Aquinas hujus animi: Proditio, inquit, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdura-

(a) 1 *Tim.c.6.v.10.*

tio avaritiæ filiæ ſunt. Cùm autem in pecuniarum cupidine, unde multa dimanant vitia, avaritia conſiſtat, vitium capitale eſſe conſequitur.(a)Hic idem maximus ſcriptor quærit, utrum avaritia ſit maximum peccatorum. Ad quæſtionem: Non eſt, inquit, ſimpliciter maximum, quamquam magnam habeat deformitatem.

Tanto mirius eſt, quod eximius ille principum magiſter Nicolaus Machiavellus (b) dicere non ſit reveritus: Avaritiæ crimen parvi faciendum: Nam vitiorum id eſt unum, quo minimè impeditur dominandi ratio. Hanc certè legem Salomon minimè neglexit, ſed ut ſanctiſſimum, non plebiſcitum, ſed ſummæ curiæ decretum obſervavit, ratus dominandi rationem avaritiâ neutiquam impediri. Habemus hîc fatentem reum. Nec enim diſſimulans culpam: Coacervavi mihi, ait, argentum & aurum. Collegi ut ſpargerem, congeſſi ut effunderem. Verùm hoc neque Salomoni nec profuit Roboamo filio. Si nebulam manè tam citò ſol attrahat & ſorbeat, nimbus eſt expectandus; brevi hoc ſolis jentaculum per imbres defluet. Ita profectò filii non retinent, quòd parentes congeſſerunt per avaritiam:

De malè quæſitis non gaudet tertius hæres.

Condus

(a) *S.Thom.* 2.2.*q*.118. *art*.7. *&* 8. *& ult. Concluſ. & a*. 5.

(b) *Caput centum fulminibus dignum, ait, Philippus Boſquier. Machiavel. lib. qui inſcribitur Princeps caput* 16. *mihi pag*. 76.

Condus eget promo.(a) Sed Salomoni avaro Cæsarem oppidò liberalem adstituo.

Tiberius Junior qui anno Christiano quingentesimo octogesimo sexto concessit fatis, optimus religiosissimus Imperator maximum adversus Persas aluit exercitum, ut pæne credi posset, vix alios ab Imperatore sumptus fieri quàm militares. Nam & Persas, in quos pugnavit, vicit etiam & triumphavit. Intereà tamen temporis tam liberali manu sportulas in egenos sarsit veluti quæstor aut tribunus ærarius Dei, ut videri potuerit hoc unum fecisse. Et creditum est nimiam esse liberalitatem illam: Ipsa imperatrix Sophia frequenter submonens: Quæso, inquiebat, hæc paullò moderatiùs faciamus, nec simul omnia effundamus; Vt diu possimus dare, demus aliquantulùm contractiùs. Nullum est tam amplum ærarium quod non exhauriat manus plus æquo apertior. In suis juvari vult Deus, sed cum modo. Malè subvenit egenis, qui subveniendo eget. Eleemosynæ moderatæ, laudatissimæ. Piè consulit inopiæ alienæ, qui suam cavet. Audiit hæc Tiberius in speciem non imprudenter dicta, & subridens: Quid angeris mea conjux, inquit, & Cæsari penuriam metuis à stipe? Quid magnus Imperator Christus edixit: Thesaurizate vobis thesauros in cælo. Sine, mea Sophia, sine pauperes gaudere nostris sportulis: nunquam deerit nobis quo diadema tueamur; sua semper suppetent nostræ purpuræ: Neque verò vanus est fidejussor Deus: Date &

(a) Der Sparer muß ein Zehren haben.

dabitur vobis. Divinæ promiſſionis vox eſt: Demus, & dabitur nobis. Quod cæpimus perpetuemus.

Quod dixit, fecit. Quâ in re faventiſſimum habuit Deum. Nam, Orbe univerſo teſte, præter omnem ſpem facultatibus maximis eſt auctus. Hoc ab omni ævo exploratiſſimum: Verè liberalem miſericordiam non ire ad ſaccum, ad mendicitatem non detrudi. Quod etiam Tiberius confirmet. Qui cùm in palatii ſui diætâ inambularet, inſculptam marmori crucem obſervans: Fronti, ait, & ori ac pectori crucem imprimimus, quid ea ſub pedibus facit? Mox igitur illam pavimenti ſuperficiem tolli juſſit. Sed inventa eſt alia crux in ſimilem modum inſculpta. Et hanc tolli juſſit. Sed enim reperta eſt & tertia, quâ etiam ablatâ prodidit ſeſe theſaurus ingens. Nam eruta ſunt inde ſupra mille auri centenaria, ita Evagrius, Gregorius Turonenſis, (*a*) Gregorius Magnus, Nicephorus teſtantur; quorum priores tres ævo illo vixerunt. His omnino addenda quæ Gregorius Magnus addidit.

Narſes bibliopola primitus, ſed ob virtutem & ingenium à Juſtiniano in militiæ ducem evectus, decennium in Italiâ pro Belliſario præfuit exercitui. Sed unà rem ſuam facere, quod ferè duces ſolent, non omiſit; ingentem vim auri argentique multa centenariorum millia collegit è prædis. Quo autem tutiùs hanc omnem opulentiam ſibi ſervaret, domum amplam delegit in eâque arcanam effodi ciſternā juſſit, in quam omne

(a) *Gregor. Turon. l. 5. hiſt. Franc. c. 16.*

omne argentum & aurum dejecit, rei conscios interfecit, senem unicum sacramento prius horribili obstrictum ad loci custodiam admovit. Et quæ parasti, mi Narses, cujus erunt? Narsetem mors abripuit: neque hanc mortis truculentiam auro licuit mitigare. Senex opulentissimæ cisternæ tutelaris varia versans in corde: Si aureum secretum istud ajebat ipse sibi, operiam silentio, perii miser, si res innotescat. Ex hoc fonte in meum usum diu haurire aurum sine furti suspicione non potero. Quin eo & ad Imperatorem hoc arcanum defero? Tiberius Cæsar ceteroqui liberalissimus in pauperes, nec meam fidelitatem sine munere dimissam spernet. Igitur Imperatori se sistit magnum quid dicturus. Ad aurem Cæsaris admissus omnia narratione fidelissimâ pandit. Missi sunt qui senis locique fidem explorarent. Constabant dictis omnia. Repertus ingens thesaurus cui exportando dies complures sunt impensi. Tiberius Imperator prædâ tam opimâ, sine vi, sine sanguine, sine ullo labore captâ jam multò quam ante liberalior in egenos, prædam cum Deo ex æquo & bono religiosissimè divisit.

Hebræi sapientis amplissimum est promissum: Feneratur Domino qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. *(a)* Querit Chrysostomus, *(b)* Cur Salomon non dixerit: Qui dat pauperi, dat Deo. Noverat divinus scriptor avaritiam humanam esse tantam támque insatiabilem, ut fieri vix

(a) Prov. cap. 19. vers. 17.
(b) *Chrysost. in Psal.* 38.

possit quin ad dandas eleemosynas promptissimi simus, ubi audierimus non solùm reddendum quod in stipem expenderimus, sed etiam reddendum cum fenore. Avaritiam Salomon in seipso ideo spectandam exhibet, ut caveamus illam, abominemur, & fugiamus. Secuti sumus Salomonem avarum, sequamur & liberalem.

CAPVT V.

Salomon Carnalis.

Hieronymus Cardanus vir variæ eruditionis, asserit visum à se speculum illo artificio factum, ut si illud senex pallidus, exanguis, rugosus inspiciat, speculum pallorem, rugas, deformitatem dissimulans, vultum juvenilem & formosum repræsentet. Cùm Salomonem sub regni exordia, velut vitæ speculum inspiceremus, juvenem decorum, sapientem, omnigenis virtutibus ornatum vidimus; nihil in eo senile, rugosum, deforme. Ostendit se nobis Salomon castus & integer: cùm enim vigesimum tertium ætatis annum ageret, jam maturus conjugio, non anhelavit nuptias cum uxore formosâ, sed cum cælesti sapientiâ: Da mihi, clamat, sedium tuarum assistricem sapientiam. En omnia etiámnum amabilia pulchra, eruditam juventutem spirantia.

Jam iterum idem speculum inspicimus, sed heu quàm longe mutatam à priore faciem intuemur; senilem, sordidam, fœdam, rugarum

rugarum & turpitudinis plenam. Eheu! *Salomon Carnalis cernitur*. Spectatus à nobis est Salomon *Negotiosus, Inconstans, Prodigus, Avarus*, nunc & Carnalem spectabimus. Hac in re Salomonis dementata sapientia nimium quantum exerravit. Feminarum amor ludificatus est hunc regem in perpetuum modum. Miratur Orbis & obstupescit tantam sapientiam eò deliriorum, eóque insaniæ potuisse prolabi. Mi Deus, quomodo tandem sapientissimus ac pientissimus rex tam miserè seipsum perdidit? Hoc illum jam nomen decet; *Salomon Carnalis*. Atque de hoc nostra jam erit dissertatio.

§. I.

Templo Solymæo jam absoluto, itineribus jam confectis rex Salomon seipsum affatus: Vadam, inquit, & affluam delitiis, & fruar bonis. Fecit quod dixit, & voluptatibus se mersit. Fatetur id Orbi: Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. (*a*) Num frustra laboraverim? Vites plantaverim, non gustem uvas? Apes foverim, non libem mella? pecus aluerim, non bibam lactis florem?

Rectissimè dixit Severus Sulpitius: Hic semper ordo rerum est, à divitiis in vitia. Ita Salomon mortalium alioqui sapientissimus, divitiarum blandimentis & uxoris obstrictus illecebris, à majorum pietate deflexit.

Vivi,

(a) *Eccles. cap. 2. v. 10.*

Vivi,veríque Dei cultum diræ ſuperſtitioni poſthabuit,lucos coluit,& malos dæmones adoravit. Non ſiluerunt hæc libri divini: Rex autem Salomon adamvit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas & Sidonias,& Getheas, de gentibus ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras, certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum. *(a)* His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore. Fueruntque ei uxores quaſi reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ. Et averterunt mulieres cor ejus. En Salomonem carnalem, carnaliſſimum. Delictum hîc duplex. Primum; in matrimonium duxit alienigenas. Alterum, nimis multas thalamo recepit. Theodoretus haud injuriâ libidinoſiſſimum vocat. Res omnibus retrò ſæculis apud omnes gentes inaudita: Mille uxorum maritus. Aſſuerus quadringentas numeravit. Darius trecentas ſexaginta quinque, ut ſcilicet anni dies numero æquarent.

Hiſtoricus ſacer Salomonis famæ ac purpuræ non pepercit, ut cuncta noſſent ſecutura poſt ſæcula, quàm effrenatæ fuiſſet incontinentiæ ſapientiſſimus inter homines. Vxorum verò mille hæc fuit differentia. Erant ſexcentæ proſapiâ & alto ſanguine reginæ veræ,principes ſexcentæ quadraginta, nobilium feminarum trecentæ. Addimus è ſacro carmine: Adoleſcentularum non eſt nume-

(a) 3.*Reg.c.*11.*v.*1.*& Ex.c.*33.

numerus. (*a*) Voluit hæc æterna ſapientia tam dilucidè perſcribi, & uxorum regiarum numerum ſciri, ut unà etiam intelligeretur quantopere diſplicuiſſent Deo tam multiplicatæ nuptiæ. Deinde ut ſummam Euangelii gratiam agnoſceremus: & reipsâ cerneremus quâ malorum lernâ carnalis mergeretur. Certè Chriſtus caſtiores nos mores docuit, alias conjugii leges pro concione explicavit. Sed huic nigerrimæ Salomonis incontinentiæ candidiſſimum pudicitiæ conjugalis exemplum jungo.

Henricus Imperator admirandæ ſanctimoniæ, jam fato vicinus Kunigundæ, conjugis ſuæ parentes & cognatos, procerêſque alios acciri juſſit: mox ad præſentes: En, inquit, conjugem mihi à vobis, imò à Chriſto conſignatã, ipſi Chriſto Domino noſtro, & vobis reſigno virginem veſtram. Qualem accepi talem reddo: Virginem dediſtis, virginem recipite. Obiit ſanctiſſimus Imperator tam ſui quàm Imperii Romani, anno Chriſtiano milleſimo vigeſimo quinto Regem egit viginti quatuor annis, Imperatorem undecim, vixit universè annos quinquaginta duos

Hæc ſanè perquam miranda: ſed fidei teſtatæ tabulas, more meo ad marginem notas produco. (*b*) Jobus cum oculis ſuis fœdus ſanxit, ut unâ contentus conjuge nec cogitaret

(a) *Cantic. cap. 6. verſ. 8.*

(b) *Adelbodus Trajectinus Epiſcopus vitam Henrici Imperatoris ſcripſit. Bavaria ſancta tomo 1. mihi pag. Antiquæ lectiones Henrici Caniſii tomo 6.*

taret quidem de virgine. Henricus Imperator, non cum ſuis ſolùm oculis, ſed cum omnibus membris ſuis, ut unicam quam duxiſſet conjugem, intactam cuſtodiret virginem. O Salomon, ô Salomon, quantis intervallis horum virorum virtus te victum relinquit! Illos viciſti ſapientiâ, ſed ab illis victus es continentiâ. Imò quia tam nihili feciſti continentiam, ipſa etiam te deſtituit ſapientia turpiſſimè per libidinum blanditias dementata. Sed ut probè noverimus, quid appetitiones adverſus rationem incitatæ, quid effrenes poſſint libidines, incontinentiæ mala ſub oculos collocamus.

Primum: Homo effrenatæ cupiditatis & laſcivus altùm dormit:nam in ſuis ſordibus adeò ſecurus vivit, ut Dei maximam partem oblitus,nec inferos multùm formidet, nec affectet cælum. Suâ ſe libidinum ſaginâ paſcit, futurorum incurius. Atqui oblivio Dei, malum eſt quod libidinoſam vitam ſequitur è veſtigio. Gaſpar Barcæus memorat in Guineæ fervoribus incolas dormire in aquis. Nam hic delitiæ ſunt, inquit, in vaſis aquâ plenis ſopori indulgere, ac ſolo capite eminere,ubi ventilatio ſolatium præbet.(a) Homo carnalis & libidinum amans in cænoſo flagitiorum ſtagno ſuaviter immerſus jacet & dormit in utramque aurem, & nec mortis viciniam, nec judicii rhomphæam, nec ignes tartari, nec cæli delitias animo volvit. Propriis miſer indormit malis. Si non dormiret tam altùm, ſubinde ſaltem ſerius cogitaret: Quàm profundum meis

(a) *Barcæus l. 3. c. 18.*

meis ipse sordibus mergor, quàm turpiter libidinis volutabro sepelior, dum malè vivo. Subitò finis est vitæ: quò migrabo? quò me rapiet Æternitas? quibus in locis meipsum reperiam? ah, gratiâ divinâ excidi: si talis moriar, talis & judicabor. Æternùm perditissimus sum. Ah! inferorum antris proximus ago, levissimo mortis impulsu præcipitor in flammas, æternum ignis pabulum. Hæc me cingunt pericula, & tamen dormio? Mors vicinissima est, & tamen dormio? jam fauces pandunt inferi; jam illuc feror gluttiendus, & tamen dormio? Quid facio infelix, cur non evigilo, & rebus meis attendo? Quàm jure cælites mihi omnes occinant: Potes hoc sub casu ducere somnos? Simon dormis? Si centum tibi sint oculi, apertos serva. Mors momentis omnibus insidiatur. Sed plerunque frustra sunt hæc omnia. Homo lascivus dormit.

Alterum: Nec audit excitantes. Surda est Libido, aut certè digitis aures obstruit; monitores spernit, monitiones excludit; Deum vocantem fugit, invitantes Angelos repellit, consilia non admittit, omne jugum excutit. Audit quidem libidinis amans & legit, sed audita & lecta aures rimarum plenas perfluunt; (a) mens aversatur monita, velut politissimum ferrum colores respuit. Quidquid huic tali homini de voluptate cælesti, de suppliciis sempiternis, de horribili Numinis in id genus vitii furore ac vindictâ dixeris, ingemiscet aliquantulùm & dicet: Credo cælum, & inferos credo: hoc Deo displicere non

(a) Zu ein Ohr in / zu andern wider auß.

non ignoro, nihilominus, quæ hominis imbecillitas est, naturam huc trahentem comitor. Scio meliora proboque, deteriora sequor. Quid enim negem, aliud est scire, áliud facere.

Sed enim, mi homo, scienti & non facienti peccatum est illi. Nam quod Lucas ingerit. Servus ille, qui cognovit voluntatem domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis. (*a*) Christianæ virtutis est, non solùm scire aut dicere, sed facere. Hoc fac, & vives, summi præceptoris jussa sunt. Sed quem libido irretiit, Athenis se natum credit. Valerius non injuriâ sugillat: Athenienses quid rectum sit, sciunt, sed id facere negligunt. Tales nos sumus, qui non ignoramus quid divinæ voluntatis sit, verùm id exequi detrectamus; ore strenui, sed manu segnes.

In Narbonensi provinciâ, Plinio auctore, fons est quem Orge nominant, hîc herbæ nascuntur, quas boves expetunt tantopere, ut mersis capitibus totis eas quærant: Homo libidini assuetus, degenerat in pecus, tantáque appetentiâ suas sectatur voluptates, ut in levi habeat caput inferis devovere; nullis emendatur monitis, nullis terretur minis, ad ipsas Tartari fauces peccare non differret. Noti nominis theologus (*b*) narrat hanc duorum sermocinationem. Sacerdos homini libidinoso, cujus conscientiam acceperat curandam, severius remedium applicandum ratus: Vide, ait, mi homo, toties

(a) *Luc. cap. 12. vers. 47.*
(b) *Ioannes Major in suo speculo, mihi p. 783.*

ties à me monitus, toties etiam rogatus ut castiores mores præ te ferres: sed effectum à me nihil est. In vetitum identidem ruis, & centies repetis ejurata. Veniam demum cælestis gratiæ impertiri non potero, toties in idem scelus relapso. At ille obortis lacrimis: Etsi, ait, patulas inferorum portas cernerem, & cacodæmonas ad abripiendum me paratissimos, si tamen simul commoda delinquendi occasio se offerret, non sanè me continerem, quin delinquerem; tametsi scirem, me continuò scelere patrato in æternos ignes abjiciendum. En pecus ipsissimum. En bovem Narbonensem stupidissimum, qui caput inferis mergit, & herbam quærit quam appetit, avidissima voluptatis bestia sub facie humanâ. O quantum mali est libido sine freno? Videte infrenem Salomonis incontinentiam quò scelerum non est progressa?

Tertium: Libido ad magiam, veneficia, idololatriam patulum est ostium. Tot feminas virósque inter Christianos reperiri qui Christum ejurent & adorent cacodæmonem hirci formam indutum spurcissima prorsus Christianæ Reipublicæ & teterrima labes, malum est prorsus incredibile & omni veterum idololatriâ multò tetrius. Nam illi truncos ligneos, saxeos, argentos quos colebant Deos esse credebant, isti diabolum quem agnoscunt, omnibus obsequiis colunt, fæx hominum conscleratissima, ferro, flammis undique abolenda. Maleficos non patieris vivere.(a) Atqui scimus ab annis nō

(a) *Exodi cap. 22. vers. 18.*

adeò multis per Germaniam aliquot millia sagarum & veneficorum ignibus consumpta. Tot magistratus erroris & iniqui damnare judicii temerarium & impium. Sed unde hæc terræ pestis tam infanda? Quod esse solet principium tam abominandæ turpitudinis? Libido. Inspiciantur tot maleficorum res gestæ, tot scriptorum testimonia. Lascivia & obscenus amor plurimos in hanc voraginem præcipitat. Habent venefici suas amicas; habent & suos veneficæ amasios diabolos humanâ formâ fallentes. Hinc istæ tot lacrimæ.

Quid ergo miramur Salomonem sapientissimum pientissimúmque regem in altissimam idololatriæ foveam prolapsum? In promptu caussa est: Libidinosus erat. Si cui diabolus hoc libidinis capistrum injiciat, ad omne flagitiorum genus non difficulter pertrahit. Nam quisquis hoc venenum semel gustaverit, letali dulcedine inescatus, eosdem bolos usque & usque repetet. Libido insatiabilis est; turpitudinem nectit turpitudini, scelus sceleri. Verè libido malum est quod totum pessundat & perdit Orbem. Samsones, Davides, Salomones in certum traxit exitium: Num illis nos fortiores, sanctiores, sapientiores? Libido ejus genii flagitium est ut nec primum esse soleat nec ultimum, sed plurimam semper flagitiorum catervam post se trahat.

Quartum: Deus ab homine impuro & obscenarum sordium amante, omnem aufert gratiam. Iam à primis Mundi cunabulis minatur Deus: Non permanebit spiritus

meus

meus in homine in æternum, quia caro eſt. Auxilium & opem, præſidium & favorem illi omnem adimam, quia caro eſt: totam gentem humanam ultricibus aquis hauriam, quia caro eſt. Obſerabo cælum, paradiſi portas occludam, impudicus & contaminatus huc æternùm non admittetur, quia caro eſt; libidinoſos hircos ad inferorum ſtabulum deturbabo; immundum pecus ad agni cœnam non aſcendet, quia caro eſt. Ne miremur; Deus ſpiritus eſt puriſſimus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare: (a) Quicunque jam totus eſt caro, nullâ cum hoc ſpiritu jungi poteſt amicitiâ; lutum & ferrum conglutinari non poſſunt. Columbula Noëmi cum non inveniſſet ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt: (b) nec enim inſidere cadaveribus ſuſtinuit. Spiritus divinus effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu. (c) Quidquid putidum, quidquid cadaveroſum, quidquid ſpurcitias carnis olet, averſatur ſpiritus è cælo; caſtis habitat pectoribus. Nec enim Dagon & Arca Dei eodem poſſunt morari loco. Procul à cælo exulare jubet homines impuros Angelus, & altùm vociferatur: Foris canes, & venefici, & impudici. (d) Atque hoc extremum malorum eſt quod ſequitur.

Quintum: Hereditas regni cæleſtis, & beatitudo ſempiterna homini libidinoſo,

 dum

(a) *Ioan. cap. 4. verſ. 24.*
(b) *Gen. cap. 8.*
(c) *Sap. cap. 1. verſ. 5.*
(d) *Apoc. cap. 22. verſ. 15.*

dum talis eſt, penitus præcluſa eſt. Decretoriam Paulus ſententiam pronuntians: Omnis fornicator, inquit, aut immundus, aut avarus non habet hæreditatem in regno Chriſti.(a) Nemo quidem hoſtium, vitioſorum nemo cohæres erit Chriſti, ſed primi tamen, quos Paulus ab hæreditate hac depellit, ſunt fornicatores & immundi. Deus non tolerat tales in beatorum regno. Exeſte hinc Veneris ſodales: Filii à Deo abdicati; Exhæredes eſſe jubemini. Ad furva regna Proſerpinæ veſtra vos Venus vocat. Nemo poteſt duobus dominis ſervire, Deo & Mammonæ, Deo & Baccho, Deo & Aſtartæ. In morte occinetur omnibus impuræ Veneris cultoribus: Vbi ſunt Dî veſtri, in quibus habebatis fiduciam, de quorum victimis comedebatis adipes, & bibebatis vinum libaminum: ſurgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant. Videte quod Deus noſter ſit ſolus, & non ſit alius Deus præter illum.(b) Rem magis explicamus.

Duo fratres, ſed alter foro non legitimo natus, defuncti patris hæreditatem venerant diviſuri. Sed pro regionis more ac ritu diviſio ſic erat inſtituenda, ut ſorte lecti, alter quidem diſſortiones ac partes faceret, alter primus partem traheret. Sors natu majorem juſſerat eſſe partitorem. Ille rem ſic aggreſſus, ut unâ parte omnes patris facultates poneret, alterâ ſtatueret defuncti pellicem, putatitii fratris matrem. Ergo junior, adoleſcens fatuus & laſcivus, matrem elegit, hære-

(a) *Epheſ. cap. 5.*
(b) *Deut. cap. 32. verſ. 38.*

hæreditate totâ cessit. Sed stultissimus opinione præsentium judicatus est. Nec immeritò. Haud aliter egit Salomon. Deus illi gloriam, divitias, sapientiam liberalissimè donavit; beatitudinem ut filio promisit, Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terræ divitiis & sapientiâ: Et universa terra desiderabat vultum Salomonis.(a) At Salomon concessam sibi gloriam, divitias, sapientiam, desponsum cælum velut semovens, cum mille uxoribus iniit connubium, & unà idololatriam, rejectâ sapientiâ, in matrimonium duxit. Ita homo carnalis non magnam numorum & nominis, & multò minorem cæli ac Numinis rationem habet, & veluti minor ille ac fatuus frater, ad suum arbitrium libidinémque, delitias ac voluptates, quas unicè quærit amplexatur: valeat cæli hæreditas, modò liceat frui præsentibus. Ideo per Orbem proclamat Paulus: Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Carnalem autem immundum nominamus illum, qui hoc sollicitus agit ut animum & cupiditatem expleat, appetentiæ carnis indulgeat, & legem credat quidquid illa suaserit: quemadmodum fatua mater caro, sed delicato & licentioso infanti annuit in omnibus, nefas existimans aliquid recusare: ita ratio impiè benigna corpori licentias pessimas indulget. Quivis attendat sibi, ne Deus caussam habeat conquerendi de se ac dicendi: Non permanebit spiritus meus in te, qũia caro es. Nostri est arbitrii

(a) 3 *Reg. cap.* 10. *vers.* 23.

perire malle, an carnis nequitias odisse. Audeamus pravis cupidinibus adversari: Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.(a)

(a) *Eccli. cap. 26. vers. 20.*

CAPVT VI.

Salomon Luxuriosus.

QVid caussæ sit obsecro, quòd Simiæ tantopere ament specula. Num forsan illis adeò placet, eas homini tam esse similes? Naturæ mystes Plinius: Simiarum genera, inquit, perfectam hominis imitationem continent, facie, naribus, auribus, palpebris: in manibus digitos, ungues, longioremque medium habent. Eas autem ex omni genere animantium esse simillimas hominibus, imò pæne homines, id eis speculum dicit. Interim tamen non vident animantes miseræ in objecto speculo, se ab homine differre in plurimis. Ergo speculum non homini solùm sed & aliis animalibus est usui.

Homo sine pietate ac spiritu, quique suis irretitus vitiis vivit tam à psalte Hebræo quàm à Tarsensi Paulo confertur pecori: Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs.(a) Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.(b) Quod si hominum ullus transeat in pecudem, certè carnalis

(a) *1 Cor. cap. 2. vers. 14.*
(b) *Psalm. 48.*

carnalis & libidinosus celerrimâ metamorphosi migrat in bestiam, tametsi speciem retineat humanam: quamvis enim ratione polleat, quando tamen cupidinum affectus incipiunt in pectore tumultuari, ita eò ardenter properat, quò trahitur à libidine, ac si omni penitus careret ratione. His objicit Deus speculum, Salomonem regem sapientissimum, qui eò devenit dementiæ, ut non tantùm *Salomon carnalis*, sed insuper etiam Salomon luxuriosus sit appellandus, quod hoc capite monstrabimus.

Hoc certè speculum hominibus & bestiis, continentibus & lascivis, castis & impuris suam cuique formam exhibet: & hos & illos docet. Sicut enim si simia speculum inspiciat, simiæ facies per speculum prospicit, hominis si homo: ita si vagæ libidinis homo Salomonem ut speculum sibi objiciat, seipsum, hoc est, hominem libidinosum cernet; si pudicus & castimoniæ amans eundem consideret, ad castimoniam strictiorem stimulos persentiscet, non solùm quia & Salomon castus olim, sed etiam quia posterior illius, & solutior vita hominem verecundum, ad majorem cautionem, & ad crebriorem gratiarum actionem impellit. Hîc tamen sciamus speculum tersum solo animæ fœtentis halitu, aut aëris densioris nebulâ contaminari. Luxuria est nebula & quidem fœtidissima, quæ suam omnem speculo laudem adimit. Hoc ergo capite dicendum, quomodo fœtens luxuriæ nebula Salomonem velut tersum speculum infecerit.

§. I.

I. Nebula cælum terrámque involvit, ut nec illud nec illa videatur nisi ad pauculos passus. Nec enim cæli serenitas cæruleum tapetem suum explicat, nec suum terra virorem aut flores ostentat, rebus omnibus suus aufertur color, & velut crudum linteum oppanditur, cùm aër nubilat. Fœda luxuriæ nebula omnem Salomonis laudem, sapientiam, decus & gloriam obscuravit. Si primam Salomon continentiam non abjecisset tam turpiter, nos ad illum supplices etiámnum tenderemus manus, & ut sanctum coleremus, quemadmodum ejus parentem David, quem Album tam Patriarcharum quàm Prophetarum & sanctorum militum recepit. De Salomone ancipitis sumus sententiæ: inferos an cælum habitet, nescimus. Immensos Salomon thesauros auri & gemmarum in nebulæ hujus tenebris amisit. Planè proterviam fecit, & pecuniam, & gloriam & sapientiam flagitiosè perdidit. Siracides acerbè opprobrans: Dedisti maculam, inquit, in gloriâ tuâ. Collegisti quasi aurichalcum aurum, & ut plumbum complesti argentum, & inclinasti femora tua mulieribus. Potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloriâ tuâ, & profanasti semen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos, & in ceteris stultitiam tuam, ut faceres imperium bipartitum, & ex Ephraim imperare imperium durum. (a) Tu, ô Salomon, in hac fœtenti nebulâ dormiebas, sed Deus variis

(a) *Eccli. cap. 47. vers. 22. & seqq.*

variis te mœroribus excitavit. Sunt qui censeant Salomonem tristitiâ multiplici extinctum.

II. Nebula non rarò fœtet. Luxuriæ proprium est patrati facinoris fœtores relinquere: eam ob caussam hædo hircóque animalium olentissimo confertur. Minatur sponsus puritatis amantissimus: Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos. Interpres hujus comminationis Ambrosius: Lasciviam corporis, inquit, & luxuriam irrationabilem sumit per hœdos. Venturus Orbis judex Christus de geminâ sui tribunalis sententiâ: Oves quidem, inquit, statuet à dextris suis, hœdos autem à sinistris. (a) Credibilissimum prorsus est maximam Christianorum partem ad inferos ablegandam à judice ob luxuriam. Eámque ob rem omnes damnandos à potiori parte appellari hœdos. Philippus Nerius (b) sacerdos Romanus, vir sanctissimus, ut ejus res gestæ testantur, libidinis fœtorem aliis insensilem, in hominibus latentem olfecit. Reverâ fœtet hæc nebula, sed obesas nares hîc fœtor non penetrat.

III. Nebula & flori arborum nocet & fructibus. Vnicum mane nebulosum, vel in solis glandibus multa florenorum millia in provinciâ non adeò amplâ potest impedire. Hic luxurię genius est, bonas omnes sanctásque cogitationes jugulare in ipsâ radice. Si

(a) *Matth. cap. 26. vers. 33.*

(b) *Anno 1622. à Gregorio XV. in Divorum syllabum relatus.*

quid ſubinde caſti deſiderii, ſi quid ſalubrioris propoſiti, ſi quod emendationis conſilium in animo eſt, mox illud necat nebula, hoc eſt, affectus contrarius. Nam Caro ſtatim præpedimentum objiciens: His autem cogitationibus, inquit, paullo lætioribus (fœdas intelligit) valedicere non potes; hoc cibo, hoc potu, hoc ſomno carere non es aſſuetus; hanc animi relaxationem, has voluptates penitus ejurare longè difficillimum; non potes. Obſequere aliquantulùm genio, & aſſuetudini pare: quid fruſtra te fatigas? Naturam ſenſim temperare, non ſubitò par eſt frangere: in veniam Deus eſt facillimus, modò pœniteat facti. Hæc carnis ſunt ſuſurramina; ita coluber ex orco ſibilat dum in exitium ſibi annuentem pertrahat. Moralium doctor Gregorius dicta confirmans: Ex quo, inquit, luxuria mentem ſemel occupaverit, vix eam bona deſideria habere permittit. Sunt enim viſcoſa deſideria: ex ſuggeſtione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuedine deſperatio, ex deſperatione damnatio. Ita identidem itur in antiquam ſilvam & reditur, & demum peritur. Princeps ab Oriente Iobus immunditiam omnem fortiſſime averſatus: Si deceptum eſt, inquit, cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum. Hoc enim nefas eſt & iniquitas maxima. Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans geni-

genimina. (a) Hæc urens nebula virtutem usque ab radicibus extirpat.

IV. Nebula in æstate plerunque fulgura & tonitrua ciet, caussámque præbet tempestatibus. Nimirum Ira & Amor impotentissimi affectus sunt. Vix autem ullum est flagitium quod tam tristes, acerbos, miserabiles casus, tot támque horribiles tragœdias excitarit atque Luxuria. Carolus Sigonius de Regno Italiæ disserens, casum longè acerbissimum, tempestatem multò terribilissimam ob virginem violatam, hunc in modum recitat: (b)

An non horribilis hæc fuit tempestas? quid hoc casu infestius, quid funestius hac tragœdia? Vnicæ virgini offertur vitium, & inde tota civitas, totus pæne Oriens in exitium præcipitatur.

Novarum etiam tragœdiarum satis est. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto; die decimâ quartâ Iunii Ioannes Manlius Norimbergâ VVittenbergam hæc scripsit. Scholasticus cum viduâ consueverat. Tulit illa uterum; demum puerpera infantem sacro fonte misit tingendum. Curio sui officii memor, quis infantis esset pater, sciscitatus est. Cùm nutrix nollet aut non posset parentem nominare, infans à Curione remissus est absque sacro baptismate. Mater infamiæ metu consternata miserum infantem necdum lustratum thermis clam submersit, seipsam suspendit. Scholasticus.

(a) *Iob. cap.* 31. *vers.* 9. 11. 12.
(b) *Carolus Sigon. lib.* 11. *de Regno Italiæ; mihi, pag.* 277. *& seqq.*

ſticus, geminati funeris ſe reum perhorreſcens, gladio pectus hauſit. Curio ubi hanc funebrem ſeriem intellexit, importunam tergiverſationem ſuam triplicis homicidii cauſſam fuiſſe ratus collum in laqueum inſeruit & abrupit vitam. Horrendum hunc caſum Lutherus ſingulari gemitu deploravit. Ah quàm horrenda facinora corpus & animam perdunt? Ergo, inquit Manlius, oremus & vigilemus, Satan non dormit. (a) Mille talia committuntur, ſed tecta, ſuo tempore in lucem eruenda. Oremus & vigilemus.

V. Nebula morborum cauſſa. Quot flagitiâ ab unâ luxuriæ radice pullulant. Theologorum antiſtes Thomas Aquinas de numero conſequentium ſe vitiorum diſſerens: Cæcitas mentis, inquit, inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia, Amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, horror futuri, filiæ luxuriæ rectè dicuntur. (b) Cui Gregorius Magnus accedens: Superiores, inquit, vires maximè per luxuriam deordinantur, ſcilicet ratio & voluntas. (c) Inter Luxuriæ filias prima eſt cæcitas mentis: hæc agmen ducit. Mens oculos claudat; ſopita ſit ratio, & omnia ubique vitia licebunt: in foveam cæcum ruere, nil miri eſt. Luculentum ejus rei documentum eſt Salomon. Quàm is ſanctum habuit parentem! quàm ab eo ſub exitum vitæ graviter & ſeverè monitus eſt, ne nunquam à Deo deſciſceret! quàm

(a) *Man. tomo 2. Collectan. mihi pag. 141.*
(b) *S Thom. 2. 2. q. 153. a. 5. concluſ.*
(c) *Greg. lib. 31. mor. cap. 131.*

quàm educatus sanctè, quàm ad omnem pietatem & Dei cultum formatus est! Quàm tamen hæc omnia fuerunt frustra, quamprimum Salomon esulam rotundam seu peplum(a) admordit, hoc est, ubi facere cœpit luxuriæ, heu quàm mutatus ab illo est! omnia vitia quæ anteà ignorabat, jam exercere incipiebat prodigus, avarus, tumidus, Dei contemptor, idololatra, vitiis coopertus, quia luxuriosus. Vbi luxuria, ibi morborum agmina. Qui pestiferâ laborat febri, sat morborum habet.

Hieronymus Fracastorius inter medicos vir magni nominis, morbos contagiosos explicans: Si febrem pestilentem, inquit, definire licet, dicemus esse febrem sordidæ & profundæ putrefactionis, includentem seminaria acutissimæ contagionis, propter quod & letalis est. Ad vivum luxuriam depinxit. Ea certè febris est identidem recurrens, indesinenter exæstuans: hinc sordidissima illa & profunda nimiùm putrefactio; hinc seminaria complurium flagitiorum. Propter quod & letalis est. Lerna malorum luxuria. Verissimè dixit Pius II. Pontifex Maximus: Luxuria ætatem omnem fœdat, senectutem extinguit.

VI. Nebula latronibus amica, insidiis & fraudibus in bello sæpe commoda. Latrones ex orco, luxuriæ nebulâ tecti, tam vicinis castris hominem obvallant, ut quandoque, Deo annuente, & animum & corpus hominis velut castrum occupent. Tobias juvenis comiti suo, & duci Angelo non sine terro-

(a) Teuffelsmilch.

terrore propinquum sibi periculum expo-
nens : Et quomodo ego, inquit, Raguelis fi-
liam Saram in matrimonium ducam? Au-
dio illam jam septem maritis nuptum loca-
tam, sed omnes ordine mortuos esse. Sed &
hoc audivi, quia dæmonium occidit eos. Ti-
meo ergo ne fortè & mihi hæc eveniant.
Cui Angelus : Audi me, inquit, & ostendam
tibi, qui sunt quibus prævalere potest dæ-
monium. Hi namque, qui conjugium ita
suscipiunt, ut Deum à se, & à suâ mente
excludant; & suæ libidini ita vacent, sicut
equus & mulus, quibus non est intellectus:
habet potestatem dæmonium super eos.
Quis enimverò crederet in ipso conjugio
tam graviter delinqui *pravâ intentione*, ut ea
vindicanda sit morte, & quidem tali, subitâ
& horribili. Non arguuntur septem illi viri
contra legitimum tori usum quidquam fe-
cisse. Hoc illis vitio solùm vertitur: Con-
jugium ineunt, immemores Dei, & sese
velut jumentum dedunt libidini. His la-
trones ab inferis sunt proximi, sed nebu-
lâ luxuriæ tecti, quò minus observentur
tam vicini.

Solitus est quidam maritus, quod Platus
narrat, inaniter gloriari ac dicere: Alienas
ego non sector; uxore vivo contentus meâ.
Cui adstantium aliquis prudenter: Ne, in-
quit, triumphes, mi homo, potest quis è suo
etiam dolio, suóque vino reddi ebrius. Sa-
lomoni certè hoc contigit, qui cellas suas
mille doliis, conclavia sua mille uxoribus
arctavit. Hinc temulentia illa insana; hinc
flagitia multa; hinc ipsa idololatria.

VII.

VII. Nebula viatoribus inimica, præsertim navigantibus, cùm nullum in cælo sidus effulget. Ad cęlum nobis omnibus eundum: sed væ miseris qui hac luxuriæ nebulâ involvuntur: non vident infelices quò eant, & quò longiùs abeunt, graviùs errant. Salve & vale cælum, si sic pergant. Oseas præmonens: Fornicatio, inquit, vinum & ebrietas auferunt cor. Quàm decora sit virtus, quàm deforme sit vitium, non discernunt. De his Hebræus Sapiens: Veluti, ait, si avis festinat ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ ejus agitur; ita ipsi properant ad exitium. Non illum dixeris infeliciter fatuum, qui pauculas in senticeto mellis guttulas inveniens, cum extremo vitæ periculo hæret ad melleam hanc prædam, lambitque certam sibi mortem. Sua ipsi mens dicit: Hæc tibi mors, hoc tibi mel gulam franget: Hæres & lambis? periisti. Mellitam credis luxuriam? toxicum est letalissimum. Animi salus æterna hoc mellis linctu perditur. Scit ista luxuriosus, nec tamen cavet, nec suas sibi ab ullo patitur delitias eripi. Inhonestum hoc quidem, inquit, & vetitum; ego tamen pergo. Subinde pedem retrahit demens hic viator, sed formidine pœnæ, non virtutis amore. Fuerunt & inter idololatras olim qui speciosissimis verbis luxuriosam vitam ejurarent. Quibus facetè Comicus: Hæc verba, inquit, una falsa lacrimula restinguet. (a) Luxuriosi hominis pœnitentia non rarò risum movet diabolo, qui non ignorat ridiculam & inconstantem eam esse san-

(a) *Terentius Eunuch, act. 1. scen. 1.*

ſanctimoniam, quæ defletum ſcelus denuo audet patrare. Sed planam habent viam vitia; inoffenſo pede ambulatur & curritur. Siracides affirmat: Via peccantium complanata lapidibus; & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. (a)

Videte obſecro Salomonem regem primis quidem annis caſtum & ſanctum: magnis ille paſſibus ibat in cælum, in virtutis ſemiâ tfeliciſſimè progreſſus: videbatur ad immortalitatem religione & memoriâ jam conſecrari poſſe. Poſt annos aliquot fœtente luxuriæ nebulâ involvitur, ignotos ſuo parenti calles inſiſtit, avius incedit, toto aberrat cælo, viam peccantium complanatam properat in exitium. O Salomon, Salomon! Quam cæpiſti bene, quàm diſſimilem cæptis nexuiſti finem! Sed atris Salomonis moribus, Caſimiri candidos opponamus. Caſimirus juvenis caſtiſſimus, patre Caſimiro Iagellonio rege Poloniæ natus, religioſiſſimam in aulâ vitam egit, jejuniis, humicubationibus, ciliciis, aliiſque magnis rigoribus carnem exercuit: dixiſſes hoſtem corporis juratiſſimum. Illud huc propriè ſpectat adverſus Salomonem luxurioſum & polygamum. Illud Siracidæ Caſimirus pectori tam alto inſcripſit: (Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ) ut cùm eum morbus letalis corripuiſſet, à cæpto vitæ propoſito nec latum quidem unguem abduci poſſet. Suadebant medici, parentes rogabant & pæne præcipiebant, dolores impellebant, ut eam vitæ rationem aliâ

(a) *Eccli. cap. 21. verſ. 11.*

aliâ emutaret. Vox medicorum erat: Vxorem duceret; aliter ei moriendum esse. Ad quæ Casimirus: Ergo moriar, inquit, nec invitus: mihi hoc potius erit, quam cæpta non sine probro deserere. Est alia vita, pro quâ hanc mortalem perdere lucrum est. Ita mortuus est. Anno Christiano millesimo quadringentesimo octogesimo quarto die quartâ Martii. Hunc Leo X. Pontifex Maximus immortalitate consecravit. Hanc pretiosam in conspectu Dei mortem subsecuta testabantur miracula. Et certe mirissimum illud primum. Qui vivus tabe consumebatur, mortuus in sepulchro à tabe illæsus in hunc diem servatus est. Alterum: Membra jejuniis exhausta, ciliciis & flagris attrita, nunc morbos pellunt ex afflictis corporibus. Tertium: Matri Virgini sacrum carmen panxerat: Omni die dic Mariæ, mea laudes anima &c. Hoc quotidie in laudem Virginis pronuntiavit, hoc unà secum ad sepulchrum detulit, quod anno millesimo sexcentesimo quarto in defuncti pectore repertum. Quam longe alius Salomon è cygno corvus, vitiose mulierosus, in idololatriam flecti cereus. Casimirus juvenis regius olor niveus, candidissimus castitatem & pudicitiam sic amabat, ut maluerit mori, quam non dicam verecundiam offendere, sed vel legitimas nuptias cogitare. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.

Hæc Salomon optime scivit, sed turpissime neglexit. Nimirum fœtens luxuriæ nebula illum seduxit.

Cavete, Christiani, hæc vos nebula involvat. Nos imbecilles, caro petulans, natura depravata, pervigil cacodæmon, blandiens luxuria facilis descensus Averni est. Optimum adversus luxuriam remedium, Fuga omnium occasionum. Quisquis in hoc vitium procliviorem se sentit, assiduè sibi ipse dicat: Fuge otium, fuge alienæ formæ curiosum obtutum, fuge insidiatricem domum, suspecta fuge colloquia, blandientes fuge occasiones, fuge, fuge vel umbram luxuriæ. Scis quid Servator de aspectu inverecundo pronuntiarit: Ego dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. (a) Ergo tuis cave oculis: scintilla neglecta sæpe magnum excitavit incendium, omnes tibi fugiendæ sunt illecebræ. Hoc vitii genus vincimus fugiendo.

(a) *Matth. c. 5. v. 28.*

CAPUT VII.

Salomon Ingratus.

IN speculis & hoc miramur: Monstrat speculum ea etiam quæ à tergo sunt, & subinde ad longiorem distantiam. Sunt specula quæ homini in plateâ stanti repræsentent ea quæ in domo superiore fiunt: diverso si quis in conclavi agat, etiamsi per fenestras non prospiciat, à speculo discere potest, quid fiat in plateis. Ita seipsum quis à tergo contemplari potest, præsertim si duplex habeat speculum, alterum alteri

si

ſic oppoſitum, ut ab illo in iſtud imagines transfundantur.

Talia humanæ genti ſpecula proponit Deus, in quibus liceat videre quæ plurimis retro ſæculis ſunt geſta. Ab ævo Salomonis bis mille & ſexcenti fluxerunt anni. Quod igitur ante tot annos bene vel malè factum, quod Deo vel placuit vel diſplicuit, id nunc in Salomone velut in humanæ vitæ ſpeculo clariſſimè contuemur. Proximum caput Salomonem nobis Luxurioſum monſtravit. Iſtud *Salomonem Ingratum* exhibebit.

§. I.

Ingrati animi crimen in plurimas ſeſe formas diffundit; latiſſime patet. Nam, quod beatus Thomas obſervat, Ingratitudo velut fermentum omnia peccata permeat; ingratitudo materialis, ut ille loquitur, in quolibet peccato eſt. (*a*) Gratus animus, ſeu quod propitiis Grammaticis dicamus, Gratitudo tres habet gradus. Primus eſt, Agnoſcere beneficium. Grati animi homo fatetur: Hoc mihi non debebatur, quod multis negatum eſt. Et quidem hoc mihi beneficium hic talis contulit, modo tam ſuavi & commodo, manu tam liberali & benigna. Secundus eſt, Laudare beneficium & gratias agere, ſe gratum ſiſtere: quod decimus leproſorum, qui à Chriſto ſanati, fecit, qui regreſſus eſt cum magnâ voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. (*b*) Tertius eſt, Retribuere, & remetiri bene-

 nefi-

(a) *S. Thom.* 2. 2. *q.* 107. *articul.* 4.
(b) *Luc. c.* 17. *v.* 16.

neficium, pro loci, facultatum, temporis ratione.

En ſcalas breviſſimas trium dumtaxat graduum. Inverte, & Ingratitudinis ſcalas habebis. Ita quidem ut qui primus fuerat gradus fiat ultimus, & iſte in primum ſubſtituatur. Nam divi Thomæ animo, quod primum in generatione, eſt ultimum in reſolutione. Ita fundamentum ædificandæ domus primum eſt, ſed ultimum deſtruendæ. Tectum cùm domus educitur, eſt ultimum; cum ſolvitur, primum.

Primus igitur ingratitudinis gradus eſt, Non retribuere, nec ullam reddere vicem. Secundus, Non laudare beneficium, ſed diſſimulare, perinde ſi nihil acceperis: imò etiam quandoque factam gratiam vituperare. Tertius eſt, Nec quidem agnoſcere beneficia, aut etiam malefacta cenſere. Salomon per hos ipſos gradus à verâ pietate in altam impietatis voraginem præcipitavit. Igitur iratus eſt Dominus Salomoni quòd averſa eſſet mens ejus à Domino Deo Iſraël, qui apparuerat ei ſecundo & præceperat de verbo hoc ne ſequeretur Deos alienos, & non cuſtodivit quæ mandavit ei Dominus. *(a)*

Ita per primum ingratitudinis gradum à Deo averſus deſcendit, quia non *Retribuit*, imò pro beneficiis malefacta rependit. Quot enim idolis templa condidit? Cuilibet uxorum ſingularis Deus aut Deaſter fuit, cui etiam ſingulare fuerat ſtruendum templum. Atque in hunc modum fecit univerſis

(a) 3 *Reg. c.* 11. *v.* 9. *& ſeqq.*

versis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis suis. Per alterum ingratitudinis gradum se demisit, quia Dei beneficia dissimulavit, imo & vituperavit. Aversa est mens ejus à Domino Deo Israël, perinde si Deus illi aut nihil, aut certè non satis dedisset. Ad tertium denique gradum devenit, & beneficia in se collata nec agnovit quidem. Sub regni principia audiebantur piæ voces illæ: *Benedictus Dominus Deus Israël. Domine Deus Israël non est similis tui Deus in cælo desuper, & super terram deorsum: qui custodis pactum & misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo.* (a) Eo tempore agnoverat Dei beneficia. Sed hæ preces non sunt auditæ amplius post tot uxorum connubium.

Davidi etiamnum imperanti Nathan non adeo suavis nuntius superveniens è catalogo cœpit Dei beneficia recensere, sed simul etiam animum ingratum opprobrans: *Ego unxi te, inquit, in regem super Israël & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui, & uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israël & Iuda: & si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi.* (b) Vbi voluntas in Deum grata? Nunquid homicidio & adul-

(a) 3 *Reg. c.* 8. *v.* 15. *& v.* 23. *ac seqq.*
(b) 2 *Reg. c.* 12. *v.* 17.

terio putabas parem Deo gratiam referendam?

At Salomoni multo magis opprobrari potuit: Pater tuus opilio fuit, Deus illum ab ovibus ad diadema in solium evexit, grandes illi thesauros dedit, sed tibi longe grandiores, sed & gloriam longe ampliorem, sed & sapientiam multo maximam, qua homines universos & qui fuissent & qui futuri essent longissime anteires. Vbi nunc gratus animus? Vbi flexilis in divina obsequia voluntas? Exteræ gentis uxores Deus singularissime cavendas jussit, tu luculento Dei præcepto refractarius, non unam alteramve, non octodecim, ut tuus pater, sed mille & quidem religionis damnatissimæ matrimonio tibi junxisti. Hæccine rependis Deo, Rex fatue, Rex ingratissime?

Tanto autem sceleratior fuit hæc ingratitudo, & severa reprehensione dignior, quãto ea erat contumacior. Salomon namq; bis monitus est, non hac pergeret, revocaret gradũ ac resipisceret: Apparuerat ei Dominus secundo, & præceperat de verbo hoc, ne sequeretur Deos alienos, & non custodivit, quæ mandavit ei Dominus. *(a)* Hic apparet profecto quanta vis libidinum, & quã gravi tyrannide appetitiones impuræ hominem occupent, excęcent, pręcipitent. Mentis Cęcitas prima Luxuriæ filia. Monetur Salomon ab ipso Deo, nec semel tantum monetur, idque in re omnium gravissima, Deos fictos fugere, impias religiones cavere, idololatriam odisse. At Salomon monitorum obliviosus

(a) 3 *Reg. c.* 11. *v.* 9. & 10.

viosus contemptor negligit, quâ cæpit viâ pergit, & monita & præcepta nihili ducit, tanquam si Deo tot nominibus obstrictus non sit. Ingratitudo summa. Non alium Deus monitorem misit, ipse monuit, Nam Salomon uxoriis blanditiis jam dementatus, voces prophetæ risum jocumque fecisset. Tandem Deus adfuit sed ultor à tergo: Quia, inquit, habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. *(a)* Hæc ingrati animi sunt præmia.

Quàm multò gratioris in Deum animi fuit Bohemiæ rex Wenceslaus qui omni vitâ virgineum in se pudorem tuitus est. VVenceslao frater erat moribus longe dissimillimis, quando ille ab avia Ludmillâ, iste à Brahomira femina perquam impia educatus est. Invitarat VVenceslaum sanguinarius frater ad epulum ab infantis baptismate celebrandum. VVenceslaus tanquam præsagiret illi animus quid in se frater moliretur, pœnitentiâ & eucharistia se muniit. Boleslaviam ergo venit, ubi exceptus est humanissimè, ne suus sceleri deesset color & fucus. Venitur ad convivium; benevolam omnia magnificentiam promittebant. Diu sedetur, & epulum studio protrahitur. VVenceslaus & cibis & convivalibus fabulis jam pridem satur, veniam petiit secessus in domesticum templum. Data promptissime. Hic frater Boleslaus ad omnem fraternæ cædis opportunitatem attentissimus, hanc demum

(a) *Ibidem vers. 11.*

mum occasionem sibi commodissima ratus, fratrem è templo redeuntem obtruncavit. Primo quidem ictu gladius ferienti excidit, sed animum & gladium resumens atrox sicarius, aggressu altero fratrem confecit. Miserum fraterna manu cadere, sed beatum è tali caussâ. Innocentis corpus confodi non miramur; nunquam confoditur Innocentia. VVenceslai animus & mos fuit qui regio vati: Media nocte surgebam ad confitendum tibi: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Gratissimus Deo extitit, ad Deum cuncta retulit. Quod vel inde liqueat.

Otho Imperator optionem potestatemque fecit VVenceslao petendi à se quod vellet. Ille hoc unum petere instituit, brachium beati Viti quod è Galliis in Saxoniam allatum, & divi Sigismundi sacra lipsana. Cæsar non solum his votis statim annuit, sed regiam insuper dignitatem, suaque insignia, Aquilam fuscam in candida planitie habere jussit, à tributis etiam immunem esse voluit. Cum summa gratiarum actione hæc VVenceslaus accepit, sed in regem ungi modestissimè recusavit. Nihilominus eum Cæsar aliique principes in litteris nominarunt regem. VVenceslaus sua se opinione dimetiens, beneficiis à se collatis nunquam se satis gratum censuit. En iterum atrorem & candorem concertantes, Salomonem regem ingratum. VVenceslaum regē gratissimum.

Ad gratitudinem tribus gradibus, ut dictum, pervenitur. 1. Beneficium agnoscendum. 2. Agendæ gratiæ. 3. Retribuendum. Opti-

Optimus Deus in nos quotidie, quot horis, momentis singulis beneficus est. Agnoscamus benefactorem cum assiduâ gratiarum actione. Examen conscientiæ quotidianum ideo quoque necessarium ob gratiarum actionem, ne divinorum beneficiorum immemores, & vivamus & moriamur ingrati. Amplior autem sit gratiarum actio necesse est, ubi beneficia sunt copiosiora. Christus Simoni Pharisæo id exponens: Duo, inquit, debitores erant cuidam feneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit. Cui Simon: Æstimo, ait, quia is cui plus donavit. Recte judicasti. Idem hic. Frequentior & operosior sit gratiarum actio, ubi plura vel majora sunt beneficia. Quod divus Gregorius affirmans: Cum augentur dona, inquit, rationes crescunt donorum. *(a)* Plus accepisti? auctiorem refer gratiam. Quid autem, inquis, retribuemus? omnia Dei sunt; sua illi munera reddemus. Rex David etiam hac in re sollicitus: Quid, inquit, retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. *(b)* Gratus est Deo, qui quidquid pœnarum immittitur à Deo, tranquillo & submisso perfert animo. Ita VVenceslaus dominicum calicem accepit, omnes à fratre injurias, & ipsam denique mortem ab eodem illatam, animo pertulit æquissimo. Gratus est Deo-

(a) *Gregor. homil. 9. in Euangel.*
(b) *Psal. 115.*

que retribuit, qui tam donantem quam fla-gellantem Deum diligit.

CAPVT VIII.

Salomon Superbus.

Hieronymus Cardanus asserit, reperi-ri specula rotunda, medio densiora, sine omni plumbo illito: ab his co-minus perinde ut à conspiciliis objectam rem ostendi; ab iisdem vero eminus, ut ab aliis speculis imaginem redhiberi. Plum-bum metallorum vilissimum, ad nostra ta-men specula conducit plurimum. Nam ea sine plumbo aliis vitris sunt æqualia, nullas repræsentant imagines; nemo seipsum, ne-mo alia cernit in vitro, cujus aversam par-tem non munit plumbum. Quamprimum autem vitri tergum imbuit plumbum, mox varii usus fit speculum.

Animi submissio, seu, Humilitas, videtur esse infimi pretii metallum, infectum & rude plumbum, quod sua gravitate semper ad terram vergit. Nihilominus si desit plum-bum, non fiet speculum. Eadem fere cum virtutibus est ratio. Hominum nemo virtu-tum compos dicitur, qui Humilitate ca-ruerit. Argumento certo est nullam apud eum habitare virtutem, ubi Humilitas exu-laverit. Cristallum sunt ceteræ virtutes pu-rissimum, Humilitas plumbi vice fungitur Si conficiendum sit speculum, necessarium prorsus est, ut vitrum oblinatur Humilita-tis plumbo.

Vide-

Videbatur certe Salomon non una ſolum præditus virtute, criſtallum credi poterat tenerrimum, nitidiſſimum, ſed quia ipſi deerat Humilitatis plumbum, omnia alia quamtumvis ſplendida nudum erant vitrum & quidem fractum. Nullam in ſuis ædibus virtutem patitur ſuperbia. Superbus es? Ergo virtute plane omni deſtitutus es. Nec enim vera vel liberalitas vel magnanimitas aut alia virtus ulla conſiſtit cum Superbiâ. Hæc etiam Salomonem non leviter afflavit. Salomonem ingratum, caput proximum exhibuit ſpectandum. Hoc Salomonem ſuperbum exhibebit.

§. I.

Humanum ingenium à ſe procliviſſimum ad ſuperbiam & improbum volatum, ſi jam acquirat alas, ab artibus, ſcientiis, laudibus, divitiis, dignitatibus, fit prorſus indomabile, & volatus meditatur altiſſimos. Contemplare reges quos nominat ſacra pagina, Pharaonem, Nabuchodonoſorem, Herodem, Arphaxad, Antiochum, de quorum ultimo ſacer hiſtoricus teſtatur: Exiſtimabat ſe præ ſuperbia terram ad navigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum, propter mentis elationem. (a)

Hæc etiam in parte impegit Salomon graviſſime, quod tamen non ſine miſeratione illius dicimus: nam ſuperbiæ choragium omne habuit; pæne nihil pennarum illi defuit ad volandum; opulentiſſimns, potentiſſimus, ſapientiſſimus fuit. Hæc elationi

(a) 2 *Machab. c. 5. v. 21.*

ni alas faciunt, quibus feratur in altum. Orbis Salomonem pæne adoravit, ut hominem cælo lapsum, & homine majorem. Ah quis sui tam potens, præsertim ante Christi magisterium, qui tot incitamentis impellatur ad superbiam, & non superbiat? Atqui superbia sæpissime punitur luxuriâ. Qua de re vates Ezechiel: Habens, inquit, fiduciam in pulchritudine tuâ, fornicata es in nomine tuo. (*a*) Quod Gregorius exponens: Fiducia, inquit, suæ pulchritudinis animus attollitur, & per eandem fiduciam ad fornicationem ducitur. Confirmat hæc uberrime Apostoli Magni testimonium: Quia cum cognovissent Deum, inquit, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. (*b*) Idem evenit Salomoni. Evanuit, & seipsum paullatim amisit. Ita latens superbia perdit hominem, velut rivus aut flumen quod pratum alluit, quotidie lambendo & abradendo ita sensim terram cespitemque avellit, ut pratum denique totum appareat absumptum. Haud aliter fastus exedit, consumit, perdit.

Humilitas servat, & ad Deum evehit. Pelagius scriptor Græcus bona fide memorat: Religiosus senex hebdomades septuaginta jejuniis rigidis traduxit, eo prorsus fine ut in

(a) *Ezech. c. 16. v. 15.*
(b) *Rom. c. 1. v. 21. & seqq.*

in divinâ paginâ dicti alicujus sensum intelligentia posset assequi. Non est assecutus tanto tempore; inedia tam diuturna nec hilum quidem profecit: eadem, quæ prior, caligo. Tandem sibi ipse: Quid frustra, inquit, me fame macero, quin ad alios mihi vicinos eo & interrogo? Submittat se, qui vult erudiri. Ergo eo & à quo docear, inquiro. Dum ostium claudit, adest Angelus peregrini schemate velatus. Et heus tu, inquit, itineri potes parcere: tot hebdomades jejuniis actæ placuerunt Deo, plus tamen placuit submissio quæ domo te ejecit, ut ires & quęreres à vicino fratre, quod ignorabas. In eam rem ego missus sum, ut pandam tibi hactenus occultata: en hic sensus est dicti. Humilitas ad Deum evehit, superbia à Deo abducit; ita quidem ut quo se quisque credit altiorem, eo fit depressior à supremâ veritate, Dei delitiæ sunt altos dejicere. *(a)*

Rex Syriæ Benadabus bibebat temulentus in umbraculo suo, & reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium ejus venerant. Ausus autem turgidissimus rex Syrus dicere: Hæc faciant mihi Dii, & hæc addant, si suffecerit pulvis Samarię pugillis omnis populi qui sequitur me. Cui prudenter & fortiter Rex Israël respondens: Ne glorietur, inquit, accinctus æque ut discinctus: Ne triumphum canamus ante victoriam. Eo ipso tempore vatum unus Achabum regem adiens proclamavit libere: Hæc dicit Dominus: Certe vidisti omnem multitudinem hanc

(a) *Pelag. libell. 15. n. 72. Rosvveid. mi. pag 620. 1. f.*

hanc nimiam? Ecce ego tradam eam in manum tuam hodie, ut scias quia ego sum Dominus. Et ut sciretur manifestissime regem Syriæ superbissimum non à militaribus copiis sed à Deo debellatum, jussit propheta non selectos milites sed pedissequos principum provincialium ducentos triginta duos, homines nequaquam strenuos, sed viles & paucos in aciem educi primos. Qui quidem ad fugam aptiores quam ad pugnam videri poterant. Veruntamen Deo rem gerente, ita pugnarunt pauci illi adversus immensam multitudinem, ut Syri cæsi & fugati sint. Rex ipse Benadadus cum suis equitibus fugit, Israële acriter insequente. Hac hostium strage animatus Rex Israëlis egressus est & ipse cum suis, & tam equitatum omnem quàm falcatos currus partim in fugam avertit, partim jugulavit, affecitque omnem Syriam ingenti clade. (a) Ita Deus in superbos pugnat: hic Dei mos est, humilia & contemptibilia Mundi eligit ut confundat fortia. Ita in Pharaonem ranas, ciniphes, muscas, locustas vexatrices immisit, eum nec sepulchro quidem dignatus, quem hausit fluctibus: ita Goliathum unico stravit silice, ut non glorietur omnis caro. Sed Salomoni Robertum & Eduardum reges adstituimus. (b)

Duo sunt quæ animi Modestiæ, seu Humilitati adjumentum adferant singulare, *Suspicere & Despicere*. Neutrum Salomon scivit, nec enim suspiciebat satis nec despiciebat. Primum est *Suspicere*; quod Salomon eru-

(a) 3 *Reg. c.* 20. *vers. pluribus diversis.*
(b) *Cat. hist. c.* 7. *p.* 77. & 78.

erudite poterat alios docere, non ipse facere. Doctorem agens ita loquitur: Excelso excelsior est alius, & insuper universæ terræ rex imperat servienti. (*a*) Quisquis cogitat: Supra nos est judex cui non verborum tantum & actionum, sed & cogitationum reddenda est ratio: profecto alas ingenii tumidi submittit; & ad genua sui se judicis provolvit. Idcirco vociferatur David: Intelligite hæc qui obliviscimini Deũ, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. (*b*) Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Quid inde mali secutum? Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. (*c*) Sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum. (*d*)

Salomoni assiduè ac pensiculate cogitandum fuisset. Comœdia est vita nostra; choragus Deus, Mundus theatrum. Sua cuique persona imponitur à chorago, huic regis, illi consiliarii, huic cerdonis, illi fabri, alteri Mendici: ita quidem iste Priami, hic Agamemnonis, Hectoris partes alius sustinet, ille Melanthium Vlyssis servum agit. Quis ego sum! Rex Hebræus in Israëlem & Iuda. Videbo igitur ut personam meam quàm optimè agam. Quis autem intus & in cute sum? Homo fragilis, obnoxius peccatis plurimis, stipendiarius mortis, imago inconstantiæ. Hoc diadema, sceptrum istud, hæc purpura sunt ornamenta exterioris quam ago personæ. In fine comœdiæ hæc omnia Mors coget deponere. Choragus ista dedit,
hæc

(a) *Ecclesʃ. c. 5. v. 7.* (b) *Psal. 49. v. 22.*
(c) *Psal. 13. v. 1.* (d) *Iob c. 8. v. 13.*

hæc mihi Deus concessit; si iis, dum licet, non legitime utar, quod suum est Deus repetet, & quidem non sine meo dedecore, dabitque actori meliori. Alius quidem in hac vitæ fabulâ sutor est, alius agricola, hic pistor, ille mancipium molendinarium. Quid enimverò refert quam quis agat personam, modò eam bene agat. Qui est omnium dominator Deus non verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. *(a)*

Ita tibi, mi Salomon, fuisset suspiciendum ad Deum. Hoc suspicere, animi modestiam mire adjuvat & auget.

Alterum Humilitatis grande adjumentum est *Despicere*; Mortalitatem & sepulchrum frequenter cogitare. Quod Iustus in Politica eruditione prudenter monuit, hoc sæpius insusurrandum Salomoni: Cogita supra hominem te, sed hominem esse. Quamdiu autem esse? Mors imminet & æquabit. Regnas? Potes subjici. Dominari? potes servire. Quidquid alte se sustulit opportunum est ad casum. Nulli fortunæ minus credendum quam optimæ. *(b)* Sardanapalus eam vixit vitam, ut pæne tota, non aliud fuerit quam ebrietas mera; Tandem cum aliquantulum edormisset crapulam, incidi jussit tumulo manum digitis complosis cum dicto: Regna omnia nec tanti sunt.

Philippus Rex Macedo à victoriâ Charonensi

(a) *Sap. c. 6. v. 8. & 9.*
(b) *Lipsius in Mon. Polit. l. 2. c. 13.*

nensi nonnihil inflatior litteras accepit ab Archidamo Spartanorum, in quibus & hoc monitum: Metire umbram tuam, nihilo reperies auctiorem. Comiter admisit rex Phillippus hanc moniti libertatem, cúmque in palæstrâ toto corpore in arenam esset prolapsus, ubi surgens corporis sui mensuram in arenâ vidit: Prô, inquit, quam parvam terræ partem sortiti, Orbem appetimus?

Reverâ frangit superbiam, ita despicere & obtueri terram. Si Salomon post Christi mortem vixisset, & scivisset ea quæ pueri nostri & puellæ sciunt, forsan aliter se gessisset. Quia verò Christianam legem, quæ accuratissimam exigit castitatem nesciit, ausus est tot exterarum mulierum amoribus se contaminare. Quamvis & hoc adversùs expressissimam Dei legem egerit, & ita nec suspexerit ad Deum, nec despexerit ad sepulchrum.

Hæc duo sanè, *Suspicere* tribunal imminens futurúmque judicem; *Despicere* habitandum post breve tempus carcerem, non difficulter hominem in officio continet, eúmque immunem à toxico superbiæ tuetur. In eam rem rogandus assiduè Deus: Illumina Domine oculos meos ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum. *(a)* Ajunt si fulmen hominem clausis oculis tangat, ita illos diduci, ut claudi ampliùs nequeant: & è diverso si apertis sit oculis qui fulmine afflatur, ita oppilari oculos ut ampliùs aperiri non possint: Si oculos claudamus

(a) *Psalm.* 12. *v.* 4.

mus dum vicimus, & ita superbiæ aliorumque vitiorum semitam percurramus, subitò iræ divinæ fulmen feriet nos, oculosque ita diducet ut claudi ulteriùs non possint æternitate totâ. Iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit (*a*) Humiliamini ergo in conspectu Domini, & exaltabit vos. (*b*)

(a) *Psal. 33. vers. 19.*
(b) *Iac. c 4. v. 10.*

CAPUT IX.

Salomon Imprudens.

PHilostratus Apollonii Thyanæi panegyristes de monarchis Indiæ hęc commemorat: Indi reges, cùm dormitum eunt, placidam & modestam músicam adesse curant, homines ad tibiam cantantes, eo fine, ut bonis utantur somniis, & benigni fiant in subditos, illisque bene consulentes surgant. (*a*)

Salomon in subditos tam clemens & benevolus, tam rectè illis consulebat, ut Siracides dicat: Salomon dilectus in pace tua. (*b*) Et certè in Gabaon feliciter somniavit, cùm sapientiam obtinuit. Et impletus est quasi flumen sapientiâ. (*c*)

Seneca de Nerone juvene: Nemo unus homo, inquit, uni homini tam charus fuit, quàm ille suo imperio. Et ipsemet Nero glori-

(a) *Philostrat. l. 2. c. 14.*
(b) *Eccli. c. 47. v. 18.*
(c) *Ibid.*

gloriabatur, quòd nulli unquam citiùs commissus esset gladius. Nam septemdecim erat annorum cùm salutatus est Imperator, & nullam tamen, ut ajebat, sanguinis humani stillam in Orbe fudit.

Salomoni hoc magis congruebat: Dilectus es in pace tuâ. Nemo alterum sic amavit, ut regem suum Hebræi, quem norant esse sapientissimum & justissimum. Sed quomodo obscuratum est aurum, quomodo mutatus est color optimus? (a) Prudens, Justus, Sapiens erat Salomon: nunc alia omnia; Insipiens, demens, fatuus. Sed ut illustrissimam hanc regis fatuitatem tantò luculentiùs ponamus, prius naturalem Salomonis prudentiam inspiciamus. De sapientiâ parte priori actum. Nunc è prudente Salomone insipientem & delirantem considerabimus.

(a) *Thren. cap.* 4. v. 1.

§. I.

Prudentiam Salomon circa tres potissimùm homines ostendit, Adoniam fratrem, Ioabum ducem, Semei calumniatorem, quos prudenter oppidò punivit. Adonias matrem subornans oratricem petiit sibi in conjugem Abisag Sunamitidem, quam sibi pater David junxerat matrimonio. Salomon petitione hac auditâ, mox subodoratus, quid vellet: Hæc faciat mihi Deus, inquit, & hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc. Video, quid velit; regnum cogitat & ideo uxorem patris mei reginam postulat. Erroris primi

veniam dedi, rebellem in gratiam recepi; tumultuationem alteram non patiar convalescere. Hodie occidetur Adonias. (a) Occisus est. Providens Salomon in seditione, dum cresceret, opprimendâ.

Ioab dux belli sapiens & hercle strenuus, sed quia insontes duos Abnerum & Amasam deliberatâ & perfidâ cæde sustulerat, quia etiam Adoniæ factiosis consiliis faverat, supplicium commeruit: sed eum rex David aggredi non est ausus, tum quia ipsius operâ plurimùm egebat, tum etiam quia Ioabus apud populum & milites auctoritate maximâ pollebat. Ergo eum Salomoni committens puniendum: Facies ergo, inquit, juxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem ejus pacificè ad inferos. (b) Proptereà illum Salomon occidi jussit, ne geminatum homicidium esset impunitum.

Tertius Semei homo versutus, impudens, seditiosus, regis David petulantissimus, & in os calumniator. Salomon à funere parentis vetuit hominem vagari, & aliò excurrere, sed hærere Ierosolymis in urbe, ne remotus ex oculis, haberet caussam concitandæ seditionis, aut ne novam incenderet calumniam apud Benjamitas, è quorum stirpe oriundus erat. Ita Semei prohibitus erat transire Cedron, aut à civitate longiùs abire. Post aliquot aristas Semei legis vel minus memor vel certè contemptor, regium mandatum ausus est violare, & remotior ire in Geth ad reprehendendos è fugâ

(a) *3. Reg. cap. 2. vers. 23. & seqq.*
(b) *Ibidem.*

fugâ servos, idque contra expressum quod fecerat jusjurandum. Salomon virum perfidum in urbem retrahens capite mulctavit, duplicis mortis reum, & quia regiam Majestatem in patre læserat, & quia perjurus in fide non stabat. (a) Magna Salomonis prudentia quæ vagum & scelestum ingenium eò adegit, ut vel frenos pateretur, & caveret noxam, vel certè novam mereretur mulctam. Prudenter. Utinam hæc etiam Constanter. Omnium temeritas & stultitia mala est, regum verò pessima; vel quia impunè peccent, vel quòd ad exemplum multò efficacior sit quàm privata.

Prudentiæ princeps officium est præterita recordari, præsentia ordinare, futura providere. Isocrates apud Stobæum: Vir prudens & frugi, ait, debet præteritorum meminisse, agere præsentia; futura cavere. Latinis Prudens, à fronte simul & occipitio oculatus est, ut videat, *Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.* (b) Prudentis est præterita cum præsentibus & futuris componere.

Salomon præteritorum oblitus, præsentium delitiarum intemperans gurges, futuram seriem malorum imprudentiâ summâ non cavit. Nec prudentiorem se filium reliquit. Malus milvus, malum ovum. Nec enim minùs stultè Roboamus Salomonis filius florentissimum regnum à patre relictum fando perdidit, intempestivo ad populum responso: omnes namque præter unam, quæ ipse censebatur, Israëlitarum

 tribus

(a) *Ibid.* (b) *Virgil.*

tribus à se in discordiã irreparabilem avertit. Postulatum autem est ut aliquid laxamenti à diuturnis laboribus, sævitque indictionibus & tributis populo daretur: plurimum enim impensarum & operæ in templo & regiâ domo tam ædificandâ quàm alendâ exhaustum. At stultus rex stultorum juvenum consilio usus tam acerbè & immaniter respondit, ut regnum tantâ indole à majoribus conditum, & auctum, in partes continuò sit scissum. Apparuitque nullum majus regnorum esse præsidium, quàm populorum benevolentiam & studium, quibus sublatis nullum diu stabit imperium.

Ita imprudens & stolidus Salomon, imprudentissimum & stolidissimum regno filium reliquit. Principia Roboami fatui à fine Salomonis stulti non degenerarunt. Salomoni insigniter deliro poterat illud occentari: Hæccine reddis Domino rex stulte & insipiens? Nunquid non ipse fuit pater tuus, qui possedit te, & fecit, & ditavit te? Memento dierum antiquorum, cogita generationes præteritas, interroga David patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi. *(a)*

Christus Servator omne tempus quod prudentia solet circumspicere, brevi dicto complexus: Attendite, inquit, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. En tempus præsens. Alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. En tempus futurum. Amen dico vobis, receperunt mercedem

(a) *Deut.c.32.v.6.pauculis mutatis.*

dem suam,(*a*)hypocritæ illi cùm eleemosynas facerent, voluerunt ante se cani. En præteritum tempus.

Prudentiæ Christianæ est ut hanc temporis differentiam tam in seipso quivis,quàm in altero, quàm etiam in Christo Domino attendat.

I. *Præteritum tempus* in seipso quilibet considerabit tali ratione: Mi Deus, quot annis jam vixi, quousque ætatem perduxi? quàm ad seria & salutis negotium attentus fui? Michæas id mihi præcinit: Indicabo tibi,ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cumDeo tuo.(*b*) Num igitur sat Deo gratus fui, pro tot, tantis, támque prolixis beneficiis?quam hactenus animi curam habui, quibus vitiis insuevi? Si peccata mea priora,sint simul omnia,quantus,ô superi,noxarum foret cumulus?quomodo pecuniam expendi, quomodo tempus rem omnium pretiosissimam consumpsi, in ceteris rebus caducis qualem me gessi? Num annos æternos in mente habui, num æternitatem & æternam felicitatem animo desideravi? Num in viâ sum ad cælum, num potiùs ad inferos tendo? quam hucusque semitam servavi?Hîc sanè consideranda sunt plurima: hîc opus ad Diogenis laternulam *præteritum tempus*, ejúsque periodos exactè inspicere.

Præsens tempus ita dimetiemur. Quid jam

S 4 ago,

(a) *Matth. cap.6.v.1.& seqq.*
(b) *Mich. c.6.v.8.*

ago, dum ad mortem eo? Hora est jam me de somno surgere. (a) Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. (b) Hic obsecro, damnatorum aliquis emergens ex inferis die tali quomodo uteretur? tu igitur illo sic utere ut non damneris. Age quod agis, ne subitò præoccupatus die mortis sapitum pœnitentiæ quæras, sed non invenias. Volucre tempus prætervolat, & non revertitur. Utere, dum licet, tempore, instat æternitas.

Futurum tempus. Dicat quisque sibi: His vittiis serviebas hactenus, his animi morbis laborabas. Agedum vitiorum turbæ renuntia, in libertatem témet assere. Hæc tui sunt arbitrii: Si seriò velis, jam liber es. Emenda & exue mores pessimos priores. Dum vivimus, nunquam nimis serum est resipiscere, & è libidinis cæno emergere. Tu igitur quamprimùm in viam redi, & animum ad bonam frugem applica: Dic plurimam salutem turpi vitæ; Ejura constantissimè quidquid hactenus in Deum malè patrasti. Agesis ergo, nunc alius esse debes è toto.

Quàm prudenter Abraham præteritum præsens & futurum tempus distinguens, & Lothum patruum ad concordiam invitans: Hactenus, inquit, mei ac tui pastores creberrimè jurgati sunt; res malum sortietur finem ni obsistamus. Ne quæso sit ampliùs inter me & te, meos & tuos pastores jurgium, cùm fratres simus. Hoc potiùs agamus, separemur loco & terris, ut tantò arctiùs

(a) *Rom. cap.* 13. *vers.* 11.
(b) 2. *Cor. cap.* 6. *vers.* 2.

ctiùs jungamur animis. Ecce amplissima regio in oculis tuis est; elige quam volueris partem: si dextro tibi magis placeat, ego sinistram occupabo; sin autem sinistram malis, ego dextram retinebo. (a) Ita suos quisque mores ad emendatiorem normam revocans ipse sibi dicat. Hoc hactenus factum est, hoc imposterum faciendum est: consuetudines improbæ melioribus vincendæ. Amanti & volenti nihil difficile.

Si Salomon hac fuisset usus prudentiâ, & istud temporis discrimen animo impressisset, in illam malorum voraginem non incidisset; sed heu peregrinis amoribus pessimè dementatus hanc omnem è pectore prudentiam expunxit, & eò se duci passus est, quò nemo prudens exerrat.

II. In altero triplex hoc tempus ita considerandum est humanæ prudentiæ. Et quomodo, dicat quis sibi, adversus homines alios me gessi: Quoties, & quám multorum famæ ac nomini obtrectavi, quàm multis exemplo nocui, quantos offendi, quot etiam injuriis & damnis affeci? quos obsecro sincerè ac castè dilexi? quantis fortunam opimiorem invidi? quàm crebros cane pejus & angue odi? In hostes & inimcos qualis fui? num Christianæ charitatis in me vel scintilla vixit? Num inimicos & osores meos, prout dominus jubet, dilexi? num pro iis oravi, num illis bene feci? Hæc oris dominici jussa sunt.

Sed age, dic, qualis etiámnum in parentes, in cognatos, in omnes alios sum? Num erga

(a) *Gen. c. 13. vers. 8.*

ullum hominem animum acerbum aut exulceratum gero? Num quemquam vexo, insequor, affligo?

Sed enim dic etiam, & quomodo deinceps in alios me geram? an non odium, omnésque simultates ponam? An non aliis maledicere, & detrahere cessabo? an non alios offendere, & injuriis desinam incessere? Alioqui certè hæc omnia & quidquid damnorum aliis intulero, in me meúmque caput recident. Dominicum effatum non nescio: Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis. Quod Augustinus explicans: Talem, inquit, unusquisque indulgentiam accipiet à Deo, qualem fecerit proximo. *(a)*

Iethro sacerdos quàm pulchrè Mosi genero suo hæc tria tempora distinguens: Non bonam, inquit, rem facies. Stulto labore consumeris, & tu, & populus iste. Ultra vires tuas est negotium: solus illud non poteris sustinere. Præteritos monstrat errores Iethro, unaque docet quomodo futuris in præsentiarum occurrendum. Sed audi verba mea, inquit, atque consilia mea, & erit dominus tecum. Hoc præsentis erat temporis; istud futuri. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum. Provide autem de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, qui judicent populum omni tempore. Quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo judicent, leviúsque sit tibi partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis

(a) *Aug. tract. 5. in Ioan.*

plebis imperium Dei, & præcepta ejus poteris sustentare. (a) Decora temporum discretio. Sic quisque sibi imperet: Provide maturè, provide ne hoc amplius fiat: provide ne alios ulteriùs oneres injuriis: provide ut ovis è lupo, medicus & benefactor è tortore.

Si Salomon hac prudentiæ circumspectione suos subditos gubernasset, nunquam seipsum tot mœroribus, nunquam illos jugo tam gravi oppressisset.

III. In Christo Servatore triplex hoc tempus prudentia Christiana ita considerat. A præterito creatorem veneratur, qui & corpus & animam, & omnia tam corporis quàm animi dedit præsidia. Quoniam ipse creavit nos, sed non eo fine, ut hîc velut saginandi boves lætis pascuis inerremus:

Os homini sublime dedit, cælúmque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus. (b)

Quàm autem conditoris & cæli olim possidendi memores sumus: pervellens aurem Ecclesiastes: Memento, inquit, creatoris tui, in diebus juventutis tuæ antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas: Non mihi placent. (c)

A præsenti tempore Redemptor cogitandus, qui pro humanâ gente non solùm in crucem suffixus est ante annos mille sexcentos, seb etiámum hac ipsâ die, hac horâ deprecatorem, advocatum, pararium & conciliatorem nostrum in cælo agit. Paulus velut di-

(a) *Exodi, c. 28. v. 17. & seqq.*
(b) *Ovid. l. 2. metamorph.*
(c) *Eccles. cap. 12. v. 1. & 2.*

ut digitum intendens cælo, dilucidissimè: Christus JESVS qui mortuus est, inquit, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, interpellat pro nobis. (a) Ocellus Christi Joannes idem testatur: Advocatum habemus apud patrem Iesum Christum justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. (b) Christus igitur nunc etiam caussæ nostræ agit patrocinium.

A futuro tempore considerandus est Orbis arbiter & Iudex. Inde venturus est judicare vivos & mortuos. Ille ipse qui affixus cru ci, qui mortuus, qui sepultus est, omnem humanam gentem judicabit. Ipse est enim qui constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent. (c) Sed & Euangelistæ omnes, quorum hoc testimonium est. Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multâ & gloriâ. (d) Nam omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. (e)

Mardochęus ut persuaderet Estheri, ad regis genua animosas preces sterneret, suúmque populum periculo præsentissimo eriperet, hæc ipsa tria tempora illi cogitanda proponens: Recordare, inquit, mea Esther, te fuisse pauperculam luto hærentem sine num-

(a) *Rom. cap. 8. vers. 34.*
(b) *1. Ioan. cap. 2. v. 1. & 2.*
(c) *Actor. c. 10. vers. 42.*
(d) *Marci c. 13. v. 26.* (e) *2. Cor. c. 5. v. 10.*

nummis & dote, ego te parvulam educavi. Sed cogita modò quis præsens tui populi tuorúmque civium ſit ſtatus: omnium jugulis impendet gladius. Actum eſt de nobis omnibus, niſi tu ſententiam fatalem mollias precando. Nunc quidem regina es; olim mendicabulum. Sed revolvi potes in priſtinam vilitatem. Perpende igitur, quid allatura ſit ſors futuri mali. Si enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris. (a)

Cogitemus & nos de nobis ſimilima. Eramus omnes Iræ filii, æternùm perditiſſimi. Verùm ab interitu Chriſtus ſuomet nos ſanguine vindicavit. Nunc autem quo in ſtatu verſamur? Optimum inter peſſimúmque medio: & ad inferos & ad ſuperos apertiſſimum eſt iter, huc vel illuc tendere, noſtri eſt conatûs & arbitrii. Hîc utamur prudentiâ, ne contra nos clamet Iſaias: Quis cæcus niſi ſervus meus, & ſurdus niſi ad quem nuntios meos miſi? Qui vides multa, nonne cuſtodies? (b) Suam Chriſtus voluntatem cruore ſuo in noſtris cordibus ſcripſit: hanc interpretatur prudentia, illud cuivis identidem inſtillans: Cogita qualis fueris, qualis ſis, & qualis futurus ſis. Agnoſce tuum Conditorem, dilige Redemptorem, time Iudicem.

Quin Salomoni Deus multa de Chriſto in Orbem mittendo patefecerit, non dubitamus,

(a) *Eſth. c. 4. v. 14.*
(b) *Iſ. c. 42. v. 19.*

tamus. At Salomon præteritorum immemor, præſentium cæcus amator, futurorum non proſpiciens, magnificis quidem atque regiis, ſed verè grandibus delitiis prudentiam in ſe omnem turpiter corrupit. Inde omnia retro ferri, & peſſum ire, in ipſum denique Idololatriæ barathrum corruere. Verè *Salomon imprudens*. Sed non hîc ſtitit fecunda progenies malorum. Uſque ad ſupremum fatuitatis gradum Rex ſapientiſſimus aſcendit. Hoc ergo ſupereſt, ut etiam *Salomonem fatuum ſpectemus*. Nunquam levibus impendiis delirant Reges.

CAPVT X.

Salomon Fatuus.

Libertus Auguſti Cæſaris Phædrus, vir eruditus & caſtæ latinitatis oppidò gnarus apologum narrat hunc in modum: Civis Romanus filium habuit & filiolam formæ diſſimillimæ, fortunâ inſolenter errante. Filius Hyacinthus contra quam fieri amat, præſtantiſſimæ formæ, Tulliola filia inſigniter deformis erat. Vtriuſque vaga ætas ſpeculum matris reperit & inſpexit. Puer ſpeculum adeò ſibi favere animadvertens. Heus ſoror, inquit, quàm ego formoſus ſum ad te collatus, & quàm tu nihil habes formæ! ô deformem Canidiam! Puella impatiens tam acerbi vituperii rem patri detulit, & fratrem graviter accuſavit, quòd ſpeculum rem feminarum inſpexerit

Pater

Pater utrumque peramanter amplexus, ô mea pignora, inquit, cupio ut ſpeculum quotidie inſpiciatis: Tu, quidem Hyacinthule, ne ſcitatam & decoram ſpeciem pravis moribus vitiiſque corrumpas: Tu verò Tulliola, ut ſequiorem formam virtutibus & morum concinnitate commendes. Sic ambo rectiſſimè habebitis.

Speculum humanæ vitæ Salomonem jam ſæpius inſpeximus,& mira quæ nemo expectaſſet, vidimus. Negotioſum, Inconſtantem, Prodigum, Avarum, Carnalem, Luxurioſum, Ingratum,Superbum,Imprudentem ſpectavimus. Sequitur è veſtigio Fatuus,& de quo quærere jure liceat: Rex ſapientiſſime, Tu quis es? Qui fieri potuit mutatio tam incredibilis, è tam ſapiente tam Fatuus? Nos ergo ſtultitiæ cauſas ſtudioſiùs indagabimus.

§. I.

Eò rerum progreſſi ſumus, ut qui jure dicebatur Salomon ſapientiſſimus, jam meritò appellari poſſit Salomon ſtultiſſimus. Cum oraculis divinis patrum priſcorum teſtimonia conſentiunt. Ad rem Ambroſius: Salomon, inquit, ſapientiam nec principio ſui regni habuit, nec in fine poſſedit.(a) Quod Auguſtinus confirmans: Salomonis initia, inquit, deſiderio ſapientiæ flagraverant,quam cũ amore ſpirituali adeptus eſſet, carnali amiſit.(b)Eadem Bernardus ſentiens: Vti Samſon vires, ait, ſic Salomon ſapientiam

(a) *Ambr. apol. 2. pro David cap. 6. & 7.*
(b) *Aug. lib.3. de doctr. Chriſt. cap. 21.*

tiam amisit, & ex toto desipuit. (*a*) Eadem utriusque caussa, libidinibus inflammatus & furens animus. Turpissimam sapientiæ jacturam Ecclesiastes ipse deplorans: Et ipsa, inquit, longiùs recessit à me multò magis quàm erat. (*b*) Prima igitur amissæ sapientiæ caussa libido. Alteram Gregorius suggerens, Salomon, ait, priusquam caderet, nihil in hoc mundo adversitatis habuisse memoratur. Sed concessa sapientia cor funditus deseruit, quòd nullâ vel minimâ tribulationis disciplinâ custodivit. (*c*) Quid opus multis testibus? Ipsi de se Salomoni credemus, qui seipsum fatuitatis summæ damnans: Stultissimus sum virorum, inquit, & sapientia hominum non est mecum. (*d*) Verè stultissimus erat Salomon, si liceat cum Theologis loqui, non speculativè, non theoricè, sed practicè; sciebat meliora probabatque, deteriora sequebatur, faciebátque quod solent hominum stultissimi. Hinc eum Ambrosius & Hieronymus *infatuatum* appellant.

Quâ verò ratione Salomon ad stultitiam redactus sit, & an habitum sapientiæ amiserit an actum, non interest scire. Hæc scholis relinquimus disceptanda. Illud magis ad nos. Stultitia seu fatuitas Salomonis ferè triplex. Prima Naturalis, à delitiis & voluptatibus contracta. Quid enim Salomon templo

(a) *Bern. epist.* 109.

(b) *Eccles. cap. 7. vers. 24.*

(c) *Greg 3. parte pastoral. admonit.* 27.

(d) *Plures hic explicationes non nescio; hæc una, & bona.*

templo & basilica finitis; aliud habuit agere nisi esse, bibere, vacare voluptati? Hæc profecto sapientiæ fomenta non sunt. Non ea è capacioribus poculis hauritur: odit illa delitias, lautiores mensas non ambit. Quod asserens Gregorius: Hebetudo mentis, inquit, oritur ex gulâ, cæcitas ex luxuria. De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. Hæc secundum naturam sunt. Altera fatuitas natura superior, pœna fuit deserti Numinis: cum enim Salomon tam proterve à Deo recessisset, Deus etiam quod suum erat repetiit, & donum sapientiæ liberalissime concessum, justissime ablatum revocavit, ut rex amens & fatuus suamet pessum daretur ingeniosa insania. Hinc cæpit stultescere & quasi semisomnis, bardus, ac stolidus stupescere miserabili ignoratione veri, mentisque inscitia. Dignum impio sapiente supplicium, qui abusus sapientia. Tertia fatuitas diabolum habuit adjutorem, qui commodissima nactus est instrumenta, quibus Salomonis sapientiam submeret. Siquidem tot uxores ethnicæ, quæ philtra & quidquid harum artium est, exactissime norant propinare, maritum miserum ita dementarunt & infatuarunt, ut sui nutus haberent mancipium.

Hic possim plures adstituere Salomoni qui constanti sapientia regnum administrarunt. Alphonsus Siciliæ Rex, qui Curtii lectione Curtii è morbo revaluit.

Ladislaus Rex Pannoniæ & Bohemiæ,

puer etiamnum dixit: Non videri sibi homines qui litteras ignorarent.

Rex Hispaniarum Philippus II. princeps certe sapiens, qui non ad unius tantum regni sed ad orbis clavum moderandum sedere potuisset, sapientiam conservavit justitia, cujus tenacissimus erat; quam etiam in extremis filio commendans: Primæ, inquit, & summæ tibi curæ sit subditos justitia & pace conservare. Vt autem Salomonis fatuitatem & stultitiam tantò penitius inspiciamus, in medium hic aliquot dabimus effata.

I. *Stultitia luxuriæ filia.* Princeps Theologus Thomas Aquinas disertissime: Stultitiæ vitium, inquit, ex ipsa luxuriâ maxime nascitur, & illius filia recte dicitur. (a) Nam ubi appetitiones adversus rationem incitatæ, ubi libidines impuræ dominantur, ibi cor velut fluctibus hauritur; nil alti, nil rerum spiritualium meditari vult aut potest. Augustino sapientia est contemplatio æternorum. Homo libidinis servus nihil minus quam æterna contemplatur. Libido non solet esse sola, nec sine vitiorum comitatu imperat, ubi sceptro vel leviter potitur, catenam scelerum post se trahit.

II. *Sapientia quadrum insistit lapidem, stultitia globo insidet.* Nam, quod Annæus dixit, idem velle ac nolle sapientiæ est. Quod enim quis rectâ ratione comprehendit, affectibus in ordinem redactis, id non dimitti. Stultus ut luna mutatur. (b) Quod heri damnarat,

(a) *S. Thom. 2. 2. q. 7. art. 3. conclus.*
(b) *Eccli. c. 27. v. 12.*

narat, hodie adorat, parturitque novos fœtus cum novis horis; Vagus, levis, lubricus, volubilis, inconſideratus, inconſtans, momentaneus, ad omnem auram volubilis. Sapiens autem ſibi ſimilis omnibus horis. Exemplo rem demonſtremus. Animo ſapientis infigitur pronuntiatũ iſtud: Quidquid vult Deus, id ſanctum, id optimum eſt, nec eſſe poteſt malum: & jure meritiſſimo voluntas omnis conditarum rerum cum hac optimâ conditoris voluntate ſe conformat: Ego res condita ſum, mei conditoris opus, ergo & mea voluntas ad divinam illam ſe conformabit. Hoc ſapiens in ſæcula ſæculorum retinet, nec ab eo ſe unquam abduci ſinit. Homo fatuus, ingenium ventoſum horis pæne ſingulis mutatur, hodie vult quod Deus, cras reluctatur & ad ſuum vivit arbitrium libidinemque. Stultus inſidet globo, verſatilis in omnem partem. Hoc Salomonis inconſtantia ſatis ſuperq; docuit.

III. *Vix ullum eſt ſtudium Sapientiæ, ubi eſt pecuniæ.* In Salomone manifeſta res eſt: Coacervavit ille ſibi aurum & argentum, intereà non auxit ſapientiam: Aucti ſunt theſauri, diffluxit ſapientia. Adæque ſicut in copioſo vini potu fit, quo largius quis obbibit, eo citius, lingua & mente delirare ac ineptire incipit; (a) vinum blande illabitur, homo vinolentus à ſe ipſo dulciter exit. Arundo & filix inutilia terræ germina, mutuis in ſe pugnant odiis. Neglectis urenda filix innaſcitur hortis. Filicem radix

 arun-

(a) Der Wein gehet ein / die Witz gehet auß.

arundinis contrita extrahit: Arundinem filicis radix impugnat. Sic ubi animum subit corradendæ cura pecuniæ, mox abdicatur studium sapientiæ: vicissim ubi sapientiæ amor mentem penetrat, inde pecuniæ aviditas exulat: mutua sese fuga extrudunt.

IV. *Stultitia pæne inemendabilis est.* Veteri narrant apologo. Filium mater habuit meticulosum & stultum. Huic illa gallinam incubantem unà cum pullis commendavit ingenti cura, ne quis prædo ales è corte raperet. Huic certe manda, si quid curatum velis. Filius domesticarum avium tuendarum custos attentissimus, in omnem partem versabat oculos ne quid amitteret gallinarii gregis. Nihilominus hunc argum decipiens accipiter pullum unum rapuit. Mater domum rediit, & partem cortis desideravit. Eam ob rem liberaliter vapulavit filius, ob laxatam custodiam, & amissum pullum. Abiit iterum è domo mater, & novis filium præceptis onerans: Periisti puer, inquit, si denuo perdas vel unicum pullum. Ille ridiculè ingeniosus pullos omnes funiculo colligavit, ita neutiquam auferendos. Rediit ad notam prædam milvus raptor, & feliciter pullorum unum inuncans sustulit omnes. Heu miser! Ob perditam pullastrum unicum malè à matre pulsatus, jamque extrema omnia formidans: Ergo, inquit, hoc metu liberabo me, & ipse mihi consciscam mortem, pereundum est. Atqui non ita pridem mater optimas ficus in ollam fictilem melle condiderat spectante filio, quem
clan-

clanculum ad expilandum ollam ſubreptu-
rum verebatur. Hoc igitur dolo gulam filii compreſſura; Cave ſis puer, inquit, hanc ollam vel tangas, merum meriſſimum & præceps venenum eſt quod abdidi Adoleſcens mortis cupidus, ut minaces matris manus exiret veneno ſtatuit ſe interficere. Illam igitur ollam velut certum mortis inſtrumentum avidis manibus invaſit,& ficus ad unam omnes glutiit, quò certius ac celerius periret.Mater domum rediens pullorum nullum invenit, mox in iram intumeſcens prehenſo baculo in filii tergum ibat. At ille:ô mater,exclamat,parce verberibus, jam jam moritutus ſum, Ollam tot venenorum conſciam exhauſi omnem, jam certam expecto mortem. Mater volens nolens in riſum ſoluta: Medicinam, inquit, fruſtra ſtultitiæ admoveris: immedicabilis eſt.

Adoleſcente hoc ſtulto ſtultius egit Salomon. In os illi aggerebatur: Mors in olla vir Dei. (a) ollam tamen non cavit. Non neſciit, quid copioſior vini potus, quid intemperans mulierum amor poſſet. Scivit iſta & ipſe ſcripſit: Luxurioſa res vinum & tumultuoſa ebrietas, quicunque his delectatur, non erit ſapiens. Perſpectiſſima illi hæc veritas erat: Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos. (b) Hoc tamen venenum non raro linctu ſumpſit, ſed totâ bibit amyſtide.

V. *Stulti dulcia, ſapientes ſectantur auſtera.*

(a) 4 *Reg.* c. 4. v. 40.
(b) *Eccli.* c. 19. v. 2.

Quemadmodum ſapiens ſoli, ita ſtultus confertur lunæ: atqui ſol ſui pabuli partem maximam è maris trahit ſalſugine, ita ſapiens è calamitate, & rerum adverſarum fluctibus. Doctrina viri per patientiam noſcitur.(*a*)Sed enim aliud eſt longe ſapienter loqui,aliud dici ſapientem,aliud eſſe talem, ſed aliud eſt etiam ſapienter vivere.Sapienter loquebatur Salomon, nec immerito ſapiens dicebatur, eratque ſapiens, ſed quartum ei defuit, ſapienter non vivebat. Hinc Salomon fatuus.Sapienter neſcit vivere,qui adverſa neſcit patienter ſuſtinere;fatuorum albo inſcribitur qui ſuis ſeſe neceſſitatibus attemperare non vult. Sapiens in proſperis conſtans & moderatus, in adverſis fortis & magnanimus, nec vel ipſis tormentis ab animi ſtatu dimovetur. Romanus Tullius his ſapientem coloribus noſcendum ſiſtit.Sit vir bonus cæcus,debilis,morbo graviſſimo affectus,exul,orbus,torqueatur in equuleo: quem hunc appellas Zeno? Beatum. (*b*) Eadem mens Annæi, qui ſuo Lucilio:Poteram reſpondere,inquit,ſapientem ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum, dulce eſt, & ad me nil pertinet. (*c*) Sed nec voluptatibus ſolvitur ſapiens: ſicut vinum Maroneum, de quo Homerus, vicies miſcetur & vigorem ſuum retinet; levi ſtultus mixtura,qualibet voluptatula mutatur.Lambit mellita fatuus etſi noxia, ſalubria ſibi quærit ſapiens quamvis amara & inſuavia.

VI. *Pri-*

(a) *Prov.c.*1. *v.*11. (b) *Cic.l.* 5. *de Finibus.* (c) *Seneca epiſt.* 66.

VI. *Primus ad ſtultitiam gradus eſt, credere ſe eſſe ſapientem; huic proximus, ſapientem ſe profiteri.* Erudite dixit Petrarcha: Bene irent res, ſi tot eſſent ſapientes, quot ſapientiæ profeſſores. Vis noſſe quam ſis ſapiens? verte oculos retro. Recordare quoties in vita ceſpitaveris, aberraveris, offenſo pede cecideris, quod feceris quorum te puduit & pœnituit, tibi & aliis noxius. Iam ſi audes, dic te ſapientem. Ideo quod es & ſcis, interdum expedit oblivisci. (*a*) Hebræus ſapiens de ſtultorum germana indole: Via ſtulti, ait, recta in oculis ejus. (*b*) Nam ſicuti homo, ſincipitis non ſani, facillime ſibi perſuadet comem ſe atque affabilem, formoſum, & civilem eſſe, ita ſibi ipſi promptiſſime credit ſe intelligentem, doctum, eloquentem, ingenioſum, prudentem eſſe atque ſapientem Et verba & facta ſtulti recta in oculis ejus. Nemo ſapientior ſtulto, qui pleno ſapit pectore, ſed ſibi. (*c*)

VII. *Vbi peccatum, ibi ſtultitia.* Hinc erudite dicitur: Inferorũ carcer refertiſſimus eſt ſtultorum: at cælum ſolis occupatur heroibus. (*d*) Sed quæras: quid eſt ſtultitia? Quæram & ego: Quid eſt nox? Dices, Abſentia ſeu privatio ſolis aut diei. Idem ego: Stultitia privatio eſt ſapientiæ. At peccatum maxime privat ſapientia. Notum è divinis oraculis illud: In malevolam animam non introibit

 troibit

(a) *Franciſcus Petr. l. 1. de utr. Fort. c. 12.*
(b) *Prov. c. 12. v. 15.*
(c) Er hört das Graß wachſen/ *Plauto.*
(d) Die Höll iſt voller Narren/ der Himmel voller Ritter.

troibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. (*a*) Quamdiu Salomon animum pudicum, continentem, caſtum ſervavit, ſapientiam retinuit: ubi in eum graſſari cœpit luxuria, ſimul etiam ſtultitia in illum jus ſibi vendicavit. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu. Ex omni vitiorum turba intelligentiam maxime ſopit ſepelitque rationem luxuria. Eam ob rem hortatur pſaltes Hebræus: Nolite fieri ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus. Libido hominem mutat in beſtiam. Ideo cum ad Mundi naſcentis adhuc incunabula libidines tantopere ſævirent inter homines, Deus velut facti pœnitens: Non permanebit, inquit, ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. Neque enim voluit Deus ſpiritum ſuum habitare in beſtiis ad libidinem adeò projectis. In anima malevola & in corpore peccatis ſubdito non habitat ſpiritus ſapientiæ. Hinc in ergaſtulis Plutonis meros ſtultos, in ſedibus beatorum meros ſapientes & heroas eſſe diximus. Fatuæ profecto virgines cælo excluduntur; ſolæ admittuntur prudentes. Vox è cælo monet: ſapientiam & diſciplinam qui abjicit infelix eſt: & vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inutilia opera eorum. Initium ſapientiæ veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia. (*b*) Vbi peccati noxa, ibi certiſſima ſtultitiæ nota.

(a) *Sap. c. 1. v. 4.*

(b) *Sap. c. 3. v. 11. & c. 6. v. 18.*

C A-

CAPVT XI.

Salomon Magus & Idololatra.

Hieronymus Cardanus variam rerum eruditionem persecutus docet, quâ ratione specula argentea, qua vero mista ex argento, ære, stanno, & antimonio conficienda. Salomon etiamnum juvenis argenteum fuit speculum longe pulcherrimum, Regum opulentissimus, mortalium sapientissimus, Philosophorum primus, Theologorum seu Prophetarum non ultimus, Exemplar virtutis: Verbo, Salomon justus. Nunc omnia alia. In rogo jam accendendo Crœsus olim exclamabat: ô Solon, Solon! Ita nos non minus nunc exclamare cogimur: O Salomon, Salomon!

Soloni ut peregrino Crœsus Rex Lydiæ ditissimus thesauros omnes monstravit quęrens, num quis esset se felicior? Ita, inquit Solon, Tellus modicæ rei homo. Sed & duos defunctos vita optime finita nominavit. Crœsus subridens: Et nos, ait, quo loco sumus? Cui Solon: Haud dixerim, inquit, nec fas beatum censere, qui in his vitæ fluctibus jactatur, donec in portu sit. Nonne tempestas intervenire potest, & turbo, qui evertat? Sed hanc philosophiam Crœsus non cepit. Crœsum brevi post vicit Cyrus, & imposuit rogo comburendum. Hic Crœsus exclamabat: O Solon, Solon! Cyrus interrogari jubet quem Deum vocet. Respondit Solonem in mente esse, qui hæc prædi-

 xisset,

xiſſet, monuiſſetque præſenti fortunæ non fidere, beatitudinem non ante finem vindicare. Riſi dicta: nunc miror & probo. O Solon, Solon!

Ita nobis in hac altera parte ſæpius proclamandum: Salomon, Salomon! Argenteum olim ſpeculum erat, in quo venuſtiſſimus cernebatur homo, nunc monſtrum, imo diabolus. Pro, ſuperi! quam turpis hæc mutatio, è Salomone juſto *Salomon magus & Idololatra*! Hunc ſiſtemus hoc capite noſcendum, una expoſituri, qualia ſint peccata Magia & Idololatria.

§. I.

Superiori parte de Salomone ſancto & ſapiente complura diximus nonnemini incredenda fortaſſis viſa, quæ tamen è ſacris bibliis ſunt certa. Verum inter incredibilia omnia multo incredibiliſſimum eſt, quod non ſine gemitu enuntiamus, Salomon idololatra & magus. Ah, mi bone Deus, quid eſt homo? quid ipſe ſibi fidat? Et qui potuit tam ſublimis ſapientia tam profundo mergi præcipitio? Incredibile prorſus id plurimis videretur, niſi hoc ſacræ paginæ teſtarentur apertiſſime: Depravatum eſt cor Salomonis per mulieres, ut ſequeretur deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor David patris ejus. Sed colebat Salomon Aſtarthen Deam Sidoniorum, Chamos Deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum. Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab, in monte qui eſt contra Ieruſalem,

salem, & Moloch idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura & immolabant Diis suis. (a) Cyrillus Alexandrinus decem conscripsit libros adversus Iulianum Apostatam, qui impie dictitabat, Salomonem à Deo apparente persuasum, alios etiam Deos coleret: nam inter viros cordatos non esse invidiam, multo minus inter Angelos & Deos; Scelesta lingua! Solus Iulianus Salomonis lapsu oblectabatur. (b)

Idololatria duplex, exterior cultus, & interior, seu adorationis honor. Quod exteriorem cultum attinet, certum est, Astarthen Deam à Salomone cultam, illique sicut & ceteris inferorum furiis templa condita. De interiore Salomonis cultu nonnihil dubii esse potest. An sapientissimus rex argentum & aurum, ligna & lapides, veneratus sit ut Deos, verissimus idololatra. Hic horror comas erigat, vox hæreat faucibus, si audiat Salomonem, velut verum idololatram à divinis libris & priscis Patribus proclamari. Divini libri non aliter de Salomone quàm de aliis reipsa veris idololatris loquuntur. Averterunt mulieres cor ejus: Depravatum est cor ejus, ut sequeretur Deos alienos. En aversionem cordis & depravationem. Additur: Colebat Salomon Astarthen Deam. Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens ejus à Domino Deo Israël. Ita non solus exterior cul-

(a) 3 *Reg. c.* 11.
(b) *Cyr. Alex. tom.* 2. *l.* 7. *de decem.*

cultus,ſed interior mentis aberratio reprehenditur.

Nec aliter eâ de re priſci Patres loquuntur. Auguſtinus in ſcrutandis bibliis perſpicaciſſimus: Salomon,inquit,qui uxores magis ad libidinem quàm ad propaginem habuit, improbatus eſt,atque inde ad profundum idololatriæ lapſus atque demerſus.(a) Gregorius moralium præceptor: Qui prius, inquit, Deo templum conſtruxerat,aſſiduitate libidinis,etiam perfidiæ ſubſtratus,idolis templa conſtruere non timuit, ut ab aſſiduâ carnis petulantia uſque ad mentis perfidiam perveniret. (b) Teſtimonia certè clara. Illis accedens Theodoretus: Ex his perſpicuum eſt, ait, quod ipſe quoque coluit idola. (c) Ah, quomodo aurum obryzum puriſſimum non tantum rubiginavit, ſed etiam degeneravit in infimam plumbi vilitatem! Aureus videbatur Salomon,quantus quantus erat,quia ſapientiſſimus, Dei amantiſſimus, Deoque devotiſſimus erat, nunc cacabus fumoſus & ater: quomodo nobiliſſimus auri color mutavit! Ante annos non multos dicebatur Salomon ſanctus, cum quo Deus familiariter loqueretur & ageret velut cum amicorum optimo: nunc Orbi fabula eſt Salomon flagitioſus Idololatra, Magus.

Verum uti Idololatria mater eſt omnium flagitiorum, ita etiam magiæ,quæ illius appendix. Poſtquàm Salomon auſus eſt tot peſſimæ

(a) *Aug.tom.6.l.22. contra Fauſt.c.81.*
(b) *Greg. l. 12. mor. c. 12.*
(c) *Theodoret. in l. 3. Reg. quæſt. 36.*

pessimæ superstitionis uxores ducere, cæpit paullatim curiositati se dedere, & in conjugum suarum artes maleficas, fascinationes, præstigias, incantationes studiosius indagare ac condiscere. Tarsensis Paulus matrem & filiam idololatriam & magiam jungens: Manifesta sunt, inquit, opera carnis: fornicatio, immunditia, luxuria; idolorum servitus, veneficia. Non facile disjunguntur hæ bigæ; ubi odololatria, ibi & auguria, divinationes, oracula, effacinationes, incantamenta, inferorum consultationes, magica portenta plurima, mille veneficia, & maxima cum diabolo familiaritas. Gregorius Venetus Salomonis mentionẽ injiciens: Inebriatus, inquit, desiderio sapientiæ humanæ coluit idola. *(a)* Ita in Salomone libido, idololatria & sciendi curiositas fecere mixturam. Theologorum princeps Thomas Aquinas: Divinus cultus, inquit, ordinatur primo ad reverentiam Deo exhibendam: huic opponitur idololatria quæ illam exhibet creaturæ. Deinde, ut instruatur homo à Deo quem colit: huic opponitur divinatio & magia, cum quis Deo non contentus consulit dæmonem per tacita vel expressa pacta. Si primum Salomon, multò magis ausus est secundum, idque sub specie ac fuco sapientiæ humanæ, neque hoc in regum priscorum aulis infrequens.

Ægyptius Rex Pharao, cum cerneret virgam à Mose in colubrum versam, Vocavit sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam

(a) *Greg. Ven. problem.* 78.

quædam ſimiliter, projeceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones. (a) Ita Rex Balthaſar horribilem in pariete ſcripturam videns vocavit & ipſe conjectores, divinos, & occultorum cognitores. Hos certe curioſitas aulis commendavit. Quæ porrò mala licentioſam curioſitatem comitari ſoleant, vel hinc diſcamus.

Iulianus Apoſtata ingenii magni, litterarum amans, non ſolum Catholicus, ſed & Clericus fuit, qui ſacros libros prælegere, explicare, concionari ſoleret, & ſimul etjam monachum ſimulare poſſet. Detexit demum vulpes ingenium, & non ſolum Clerici veſtem exuit, nec Catholica tantum ſacra deſeruit, ſed à Chriſto Deo turpiſſime defecit. Quod Iuliani pater Conſtantini filius mature ingemuit. Conſtantinus Magnus tres reliquit filios qui Orbem inter ſe dividerent, Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem. Conſtantius Galli & Iuliani parens hanc Orbis labem ſatis prævidit. Eapropter cum Iulianum Nicomediam mitteret, modis omnibus cautum voluit, ne filius ad Libani Sophiſtæ familiaritatem ſe applicaret. Hac parte cautum eſt. Alius interim Maximus philoſophus & magus Epheſius magno conjunctus eſt uſu cum Iuliano. Hic curioſitas, & vanum ſciendi deſiderium; ſimul idololatria & magia Iulianum præcipitarunt. Vtrumque diſſimulavit nequiſſime vafer homo, dum diadema obtinuit. Iam Imperator lectus larvam poſuit, & publice Dîs fecit. Qui biennio plus patrá-
mai

(a) *Exod. c. 7. v. 11. & 12.*

mali quàm tyrannorum alii toto decennio. Non enim idololatra ſolum ſed & magus, cum in Perſidem moveret arma, cacodæmonem loco tabellarii miſit in occidentem, ad omnia tutò exploranda (quod Glicas & Cedrenus memorant.) At ubi volucer hic nuntius ad tugurium Publii monachi pervenit, decem diebus nec progredi potuit, nec regredi: nam Publius totos pæne dies noctesſque precibus conjunxit. Tandem hic curſor ex Orco re infecta rediit, & cauſſam dixit irriti reditus. Hoc admirando cognito unus è proceribus Iuliani poſt bellum Perſicum ſua omnia in pauperes elargitus, ad Publium ſe contulit, vitæ reliquum divinis ſervitiis daturus. Ergo Magia & Idololatria plerumque juncta. Sed apponamus huic atrori ſuum candorem.

Stephanus Rex Pannoniæ primus, qui etiamnum princeps Pannoniam pæne totam ab inanium Deorum cultu abductam Chriſto auctoravit, merito Salomoni opponendus. Etenim cum Anno Chriſtiano milleſimo à Silveſtro II. Pontifice Maximo terris ſuis regni regiſque nomen peteret, ſummus Pontifex in eam rem admodum pronus: Ego, ajebat, ſum Apoſtolicus, at ille Apoſtolus; Et unà coronam regiam & crucem conceſſit, facillime annuens in preces æquas. Ita Stephanus Vngariam univerſam decem epiſcopis curandam aſſignavit. Qua quidem in re ubique locorum pietatis ſuæ monimenta inſcripſit. Nec in Vngariâ ſolum templa condidit, ſed Hieroſolyma quoque & Conſtantinopolim impenſas miſit

ædibus

ædibus ſacris excitandis. Inter miranda numerandum illud: Corona regia duci Polonorum à Pontifice jam deſtinata, Stephano miſſa eſt, Pontifice ſecundum quietem per angelum admonito. Geminâ laude Stephanus excelluit: Matri Domini devotiſſimus, ſimul etiam in egenos liberaliſſimus fuit. Albus omnino Salomon. Sed hic præceptionem triplicem ſubnotemus.

I. E ſcintillis quanta ſæpius naſcuntur incendia! Ars magica & familiaritas cum diabolo, initium trahunt à curioſitate aut amore Venereo. Amor tam impotens ſui affectus eſt, ut ſi aliter re amata nequeat potiri, quàm ope diaboli, facile dicat: ut ut hæc ſunt, tamen hoc faciam. Curioſitas plura & clara, & uſque plura ſcire appetit: albus an ater ſit magiſter, juxta habet. In talia curioſitatis aut amoris mancipia veriſſimè pronuntiat Siracides: Qui ſpernit modica, paullatim decidet.(a) Protoplaſtorum primus ad peccatum gradus fuit curioſitas. Cibo non egebant, aliis fructibus excellentiſſimis abundabant, ad rapiendum vetitum curioſitas inſtigabat. Quid plerunque adulterium niſi alienæ voluptatis curioſa fœdaque appetentia? Curioſitas ſcintilla eſt, è quâ frequentiſſime incendium ortum eſt immaniſſimum, nullo ſanguine reſtinguendum.

II. Magia omnis non ſolum fugienda, ſed quidquid ei annexum. Quo in genere ſuperſtitiones ſunt innumeræ. De his Thomas Aquinas: Vniverſæ, inquit, idololatriæ

(a) *Eccli. c. 19. v. 1.*

triæ varietates, ſuperſtitioni, ut ſpecies ſuo generi ſubjiciuntur. (a) Superſtitio blandum eſt vitium, ſed religioni oppoſitum per exceſſum: extra numerum modúmque agit, nimia, dixerim, religio. A beato Thoma theologo complura recenſentur obſervationum genera, in quibus arcana ſemper cum diabolo pacta conventa deprehenduntur. E talibus vaferrimus Satan lucri ſemper plurimum facit. Qui colubrum timet, umbram etiam illius metuit: ita qui magiam odit, omnes etiam ejus appendices, omnia carmina, (b) & devotiones, ac ſuperſtitiones fugit. Nam hæc talia univerſa, in conditoris injuriam cedunt. Hîc ſimul quoque monemur, veneficia non formidare. Adverſus hæc divina ſapientia nos animans: Tu es Domine, inquit, qui vitæ & mortis habes poteſtatem & deducis ad portas mortis & reducis. Deus ad unguem ſuam diabolo poteſtatem admetitur; ultra nil poteſt; vires ad dimenſum explicat. Deo non annuente nec pilum ulli hominum ſubtraxerit.

III. Magiam & magica omnia non odiſſe tantùm & fugere, ſed nec à magis ſimilique hominum fæce reſponſi quidquam petere. Lex divina graviter id vetans: Non inveniatur, inquit, in te qui ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia, aut auguria: nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat aut divinos, aut quærat è mortuis veritatem: omnia enim hæc abomi-

(a) *S. Thom. 2. 2. q. 94.*
(b) Segen.

minatur.(*a*) Hos inferorum cauſſidicos in conſilium adhibere, enuntiationes eorum excipere; eſt occultè Deum deſerere velut imbecillem nimis adjutorem. In quos ſeverè Deus vindicans. Anima, inquit, quæ declinaverit ad magos & ariolos, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui.(*b*) Bonum eſt adhærere Deo & divinæ voluntati quàm arctiſſimè agglutinari. Nos debiles ſumus, at verò diabolus, mille artium magiſter & potens eſt: cùm hominem obſervat Dei faſtidientem, facillimè ſuis illum unguibus inuncat. Ita Salomoni non ſapientiſſimo tantùm ſed & pientiſſimo evenit: curioſitas eum & ad magiam & ad idololatriam pertraxit. Ergo quod divina lex monet, ſanctificamini, & eſtote ſancti, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.

(a) *Deut. cap.* 18. *verſ.* 10.
(b) *Levit. cap.* 20. *verſ.* 6.
(c) *Loco citat.*

CAPUT XII.

Salomon mœrore afflictus.

IN eum modum facta ſunt noſtra ſpecula, ut imaginem illius omnino vultûs reddant qui ipſis objicitur, & eo prorſus modo quo is objicitur. Si deformis ſtet adversùm ſpeculum, vultus ex eo ſine formâ proſpicit: ſi coloris vivi & formoſus ſpeculum inſpiciat, talis profectò ſpecies ab artificioſo vitro redditur: ſi furens & iratus ſpecu-

ſpeculo ſe applicet, ſimillima, imò eadem facies à vertumno vitreo repræſentatur. Speculum eſt Deus bonitatis ac venuſtatis infinitæ. Nihilominus, quales nos in hoc immensè bonum ac venuſtum ſpeculum inſpicimus, talis adversùm nos vultus proſpicit. Princeps Sionis David hunc Dei morem explicans: Cum ſancto, inquit, ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverſo pervertêris.(a) Quamdiu rex Salomon hoc ſpeculum ſanctus, innocens, electus conſuluit, tamdiu Deus etiam in Salomonem ſanctus, innocens, electus reſpexit, favoribus variis chariſſimum ſibi regem complexus. Felix Salomon & dives fortunarum ac auri; dives valetudinis & formæ, dives gloriæ ac magnificentiæ, dives divinæ gratiæ; Bene Salomoni in omnibus.

Nunc verò mutatione in contrarium factâ, quia Salomon à Deo averſus, depravatus, perverſus ſpeculum hoc inſpicit: Deus revera talem Salomoni vultum reddidit; cum perverſo perverſus, & averſo à ſe averſus. Iam Deus, ita dixerim, planè alius, & regi priùs unicè dilecto iratus, fauſtâ benedictione non afficiens, ſed auferens benedictionem flagellat filium refractarium, non eo modo quem Paulus explicans: Flagellat autem, inquit, omnem filium quem recipit. (b) Sed eo quem pſaltes ſignificat: Multa flagella peccatoris. (c) Et ſicut Salo-

(a) Pſal. 17. verſ. 26.
(b) Hebr. cap. 12. verſ. 6.
(c) Pſalm. 31. verſ. 10.

monis pater post connexum adulterio homicidium de seipso dixit: Congregata sunt super me flagella: (a) variè me punit Deus in præteritorum scelerum vindictam. Ita filius, non perfunctoriè flagellatus, sed ut reus ac noxius. Prima punitionis divinæ pars fuit, animi mœror. Ita hoc capite *Salomonem mœrore afflictum* exhibebimus spectandum.

(a) *Psal.* 34. *vers.* 15.

§. I.

Dei mos est hominem voluptatis amantem, & aberrantem per avia, in viam reducere funiculis Adam. Quod Oseas vaticinatus: In funiculis Adam, inquit, traham eos, in vinculis charitatis: & ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum: & declinavi ad eum ut vesceretur. (a) Prædictum est Salomoni dilucidissimè, quid secuturum mali, si cœptam sanctimoniam excutiens, à Deo animum esset aversurus. Promissiones & minæ sic jungebantur: Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virgâ virorum, & in plagis filiorum hominum. (b) Scivit hæc Salomon, & non curavit. Hortatus eum & pater ingenti verborum pondere, audiente omni populo: Tu autem Salomon fili mi, ait, scito Deum patris tui, & servi ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes

(a) *Os. cap.* 11. *vers.* 4.
(b) 2 *Reg. cap.* 7. *vers.* 14.

nes intelligit. Si quæsieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum. *(a)* Scivit hæc Salomon, & utique parentis verba altâ mente reposuit, non solùm chartis mandavit: ea tamen non diu curavit. Deus ipse Salomoni apertissimè minatus: Si autem aversi fueritis, inquit, & dereliqueritis justitias meas & præcepta mea quæ proposui vobis, & abeuntes servieritis diis alienis, & adoraveritis eos; evellam vos de terrâ meâ quam dedi vobis, & domum hanc quam sanctificavi nomini meo, projiciam à facie meâ, & tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis. *(b)* Sciebat ista Salomon, ea tamen non curabat. Bis Salomoni Deus in quiete visus, bis illum officii commonuit. Demum in iram æquissimam exardescens: Quia hoc habuisti apud te, & non custodisti pactum meum & præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. *(c)* Sciverat ista Salomon, non tamen ea quidquam curaverat. Præcinens in psalmis pater: Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, inquit, & in judiciis meis non ambulaverint; Si justitias meas profanaverint, mandata mea non custodierint: Visitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccatum eorum. *(d)* Hæc Salomon & scivit, & legit, & cantari utique audivit; illa tamen nihilominus non

(a) *1 Par. cap. 28. vers. 9. & seqq.*
(b) *2 Par. cap 7. vers. 19. & seqq.*
(c) *3 Reg. cap. 11. vers. 11.*
(d) *Psal. 88. vers. 31. & seqq.*

curavit. Tandem Deus in iras consurgens justissimas, corripuit flagellum, & Salomonem funiculis velut colligatis, animadversione diversâ puniit. Punitionis caput, animi mœror & tetricitas. Dionysius regiorum Annalium interpres, hoc de Salomone affirmat: In varias incidit tristitias, luctus, ægritudines. (*a*) Evenitque illi, quod Jobo qui de se ipso queritur: Factus sum mihimetipsi gravis. (*b*) Tam insuavem ei reddidit vitam mœstitia, ut amaram mortis dulcedinem appeteret. Salomon sub Ecclesiastæ personâ latens non diffitetur: Idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole; Satur sum voluptatis, & multò magis satur vitæ. Siracides hæc confirmans: Cuncti dies ejus, inquit, doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit. (*c*)

Hi demum amarores strangulant fauces, quæ diu venenatum mel linxerunt; in nauseam vertitur omnis præterita dulcedo. Accedit evigilans conscientia, & voluptatis nefariæ memoria quæ identidem accinit afflicto: Sat diu volutatus es in cœno; quid inde jam habes commodi, præter corpus effætum & morbidum, depletam crumenam, ærarium exhaustum, læsam conscientiam, & quod super omnia, iratum Deum.

Hos Salomonis luctus auxerunt adversarii & hostes. Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni Adad Idumæum de semine

(a) *Dionys. Carthus. in lib. 3. Reg. cap. 7.*
(b) *Iob cap. 7. vers. 20.*
(c) *Eccli. cap. 2. vers. 23.*

ſemine regio qui erat in Edom. Cùm enim ſupremus militiæ dux Ioab vaſtaret Idumæam & hoſtili ferro jugulis illuderet, regius adoleſcens Adadus, cum aliquot patriis ſervis profugit in Ægyptum. Sed auditâ illic Davidis Regis & Ioabi principis morte rediit in Palæſtinam, ut è vicino Salomonem impugnaret. Audite Chriſtiani, adverſariorum nequitia, malorum noſtrorum non alia eſt cauſſa, niſi ut inſtrumentum: Deus punit, Deus flagellat, Deus ſupplicio afficit, ſed hominibus aut diabolis utitur ut inſtrumentis. Quemadmodum parens in filium animadvertit, ſed pædagogi manu: filiolam mater verberat non pugno ſed betulâ. Ita omnino Deus nos punit, Deus flagellat, Deus cædit, Deus hæc facit omnia, ſed per ea quæ ſibi ſeligit inſtrumenta, in quem uſum illi & hominum nequitia & diabolorum ſævitia ſubſervit. Ita ſuſcitavit Dominus adverſarium Salomoni Adadum. Neque hunc ſolum. Suſcitavit quoque ei Deus adverſarium Razon, filium Eliada, qui fugerat Adarezer regem Soba dominum ſuum, & congregavit contra eum viros, & factus eſt princeps latronum, cùm interficeret eos David: abieruntque Damaſcum & habitaverunt ibi, & conſtituerunt eum regem in Damaſco, erátque adverſarius Iſraëli, cunctis diebus Salomonis; & hoc eſt malum Adad, & odium contra Iſraël, regnavitque in Syriâ.(a) Hos in Salomonem Deus immiſit hoſtes, qui à reo capite pœnas exigerent. Deus hos

 exacto-

(a) 3 *Reg. cap.* 11. *verſ* 14. *& ſeqq.*

exactores suos suscitavit. En Regum potentissimus Salomon, cum suis quinquaginta septem millibus equorum à fugitivo servo exagitatur. Imò, quod gravius, à suómet mancipio quod è sordibus eduxerat, impugnatus est. Fasti regum hæc memorant. Ieroboam quoque filius Nabat, Ephratæus de Sareda, servus Salomonis, cujus mater erat nomine serva, mulier vidua; levavit manum contra regem, quamvis educatus à rege. Cùm enim Salomon vidisset adolescentem bonæ indolis & industrium, constituerat eum præfectum super tributa universæ domûs Ioseph. (a) Sed audite admirabilem providentiæ divinæ in hoc orbe lusum. Contigit ut Ieroboam Hierosolymis egressus in Ahiam Silonitem prophetam incurreret. Cúmque illi duo soli in agro consisterent, Ahias pallium novum, quo indutus erat, apprehendens in partes duodecim secuit. Et ad Ieroboamum versus: Tolle tibi, ait, decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porrò una tribus remanebit ei propter servum meum David, & Ierusalem civitatem quam elegi ex omnibus tribubus Israël, eo quod dereliquerit me, & adoravit Astarthen deam Sidoniorum, & Chamos deum Moab, & Moloch deum filiorum Ammon, & non ambulaverit in viis meis, ut faceret justitiam coram me, & præcepta mea, & judicia, sicut David pater ejus. Te autem assumam, & regnabis super omnia quæ deside-

IE

(a) *Ibid. vers. 26. & seqq.*

rat anima tua, erisque rex super Israël &c. & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi domum David, & tradam tibi Israël, & affligam semen David super hoc, veruntamen non cunctis diebus. Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam. Qui surrexit & aufugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti, & fuit in Ægypto usque ad mortem Salomonis. (a) Non est prudentia, non est consilium, non est sapientia contra Dominum. Sunt quidem manus plurimæ ac longissimæ regibus, hunc tamen Salomon servum suum omnibus suis manibus apprehendere nequiit: neque Rex Sesac Salomonis socer, suo supplici quidquam negavit. Ita Deus voluntatem suam in rebus omnibus plano tramite deducit pulcherrimè. Non est qui possit tuæ resistere voluntati, (b) mi Deus.

Illud nonnemini dubium sit, quomodo decem dumtaxat tribus Ieroboamo sint traditæ cùm unica tribus Iuda remanserit Salomoni. Ajo tribum Benjamin adeò concisam & nullam fuisse, ut nec in numerum quidem tribuum ceterarum venerit. Nam ob impurum flagitium, pagi, oppida & urbes Benjamin exustæ, tot hominum occisi, ut sexcenti tantummodò viri servarint vitam. Hinc nulla familiæ hujus mentio.

Quantus igitur mœror Salomonem invaserit, cum à suómet servo sibi suóque regno insidias nec imbecilles & vanas cerneret parari. Certè pro Ieroboamo stabat di-

(a) *Ibidem.*
(b) *Esth. cap. 13. vers. 9.*

vina hæc pollicitatio : *Tradam tibi Iſraël, & affligam ſemen David ſuper hoc.* Hoc omnis Salomonis potentia prohibere aut impedire non potuit. Ad mœroris cumulum acceſſit, quòd mille Salomonis uxores ei non niſi duas filias, & unicum pepererint filiũ quem ſacer codex ſtultum nominat. Nec diuturnas Salomon voluptates percepit. Temporum eorum hæc fuit ratio. Anno decimo nono ætatis ſuæ Salomon in regem unctus eſt. Quadriennio ſacræ ſtructuræ materiam & impendia præparavit. Septennio templum ædificavit. Annis tredecim ſuum ſibi palatium ſtruxit. Ita quadraginta tres anni abierunt. Sequentes octo annos genio ac voluptatibus Salomon conſecravit; octo alios mœroribus conſumpſit; ſic annum quinquageſimum nonum exegit & obiit. Sed una alteráve præceptio hîc nobis non negligenda.

Prima: Quàm verum illud Tarſenſis Pauli oraculum: Ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci: Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum. Fieri non poteſt, ut male quis agat, & animi quietem non perdat. Malitia maximam ſui veneni partem bibit. Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. Certiſſimum eſt illud priſcorum: Nemo gerit crimen in animo, cui non Nemeſis in tergo. Et multa & horrenda Salomon in animo geſſit crimina, ergo & multas & ſeveras in tergo Nemeſes. Et quamvis homo flagitiis inquinatus à nemine tangatur, eum tamen conſcientia,

Neme-

Nemesis truculenta, lancinat. Cessat illa? surda est & muta conscientia? alii non deerunt sævi monitores & triumviri capitales. Omne crimen suum habet Nemesin. Supplicium sceleris frenum.

Altera Deus duplicis generis virgas habet. Istæ quidem è betulæ minutis & aridis surculis colligatæ sunt, quibus nos cædit ut mitissimus pater. Paternam hanc manum sentiens David: Virga tua, inquit, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. (*a*) Hoc mihi solatio est, me inter filios censeri. Illæ aliæ verò è filis ferreis compactæ sunt, instrumentum puniendi rigidum, de quo ille idem rex David: Reges eos, inquit, in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes. (*b*) His virgis ferreis in contumaces, & refractarios, in perditos & obstinatos utitur, qui plagis deteriores evadunt. De illis & istis Augustinus: omnis, inquit, tribulatio, aut pœna impiorum est, aut exercitatio justorum, quia eadem tribula, & paleas concidit & frumenta à paleis exuit. Idem omnino adstruens Gregorius: Omnis percussio divina, inquit, aut purgatio in nobis vitæ præsentis est, aut initium sequentis; dum flagella ab hac vitâ inchoant, & in æternâ percussione perdurant. (*c*) Deus improbos & inemendabiles hîc virgis ferreis; in Orbe altero percutiet eos candentibus & ignitis.

Agamus Deo gratias & manus cælo attollamus, si nobis patientia vel mediocris supersit:

(a) *Psal.* 22. *vers.* 4.
(b) *Psal.* 2. *vers.* 9.
(c) *Greg. lib.* 8. *mor. cap.* 12.

perſit: Deo ſe dedere, & emendationem ſpondere, filiorum eſt indicium, quos betulâ objurgat. Deus non modò à virgis ferreis tueatur, quantum ictus ſunt admodum acerbi, ſed vani & irriti. An Salomon à plagis cæperit reſipiſcere, ignoramus. Reſipiſcamus nos maturè & ſapiamus à Salomonis inſipientiâ. Spondeamus optimo parenti nos fore frugi. Solatio nobis ſit maximo, quod erat Davidi, numerari inter filios. Melius eſt aſſiduis à patre virgis cædi, quàm carnifici Orciniano tradi. Præſtat perire brevi tempore, quàm æternis ſæculis.

CAPVT XIII.

Salomon Penuriâ preſſus.

ADmiranda ſpeculorum natura, ut ſuprà demonſtratum eſt. Sic certè ſpecula poſſunt aptari, ut è ſole faciant ſtellam. Nam ſi ſpeculum de die in cado mergatur aquâ, ſol in eâ veluti ſtella relucebit. Salomon quamdiu Deo adhæſit, nitidiſſimus ſol fuit. Siracides id affirmet: Quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei. (a) Totum regnum, Orbem imò totum ſapientiæ ſuæ radiis colluſtravit. Verùm, eheu, quàm in exilem ſtellulam ſol iſte deſiit! Nam ubi Salomonis mores optimos velut ſpeculum aquâ libidinum merſit, omnia peſſum iverunt. Sol adeò defecit ut vix amplius retinuerit, quod ſoli ſimile dici potuerit. Salomon variè flagellatus & animi pacem

(a) *Eccli. cap. 59. verſ. 6.*

pacem & regni perdidit. Deus tres ipsi adversarios, Adadum, Razonem, Ieroboamum suscitavit, qui jam antè morosum & tetricum regem pro merito afflictarent. Neque hoc satis, mœroribus affici, fortunas etiam Salomonis invasit Deus & dissipavit, regem idololatram serâ castigans paupertate. Annui census Salomonis incredibiliter magni, & tamen sub ultimos regni annos tantis impendiis nihil suffecerat. Hinc *Salomon penuriâ pressus*. Priori parte jure meritissimo Salomonis opes deprædicavimus: Dives fuit, ditissimus rex iste Hebræus. Denique ingemuit ærarium infinitis sumptibus exhaustum, & doluit se respondere non posse tot petitoribus. Sed quatuor regiæ paupertatis hujus fuere caussæ, quas hoc capite indagabimus.

§. I.

M. Gabius (*a*) Apicius, lippis tonsoribus gulo notissimus ad opulentam pauperiem redactus est helluando. Hunc Bilbilitanus vates salsè insequitur his versiculis:

Dederas Apici bis trecenties ventri,
Sed adhuc supererat centies tibi laxum:
Hoc tu gravatus ne famem & sitim ferres
Summa venenum potione duxisti.(b)

Numerarat in facultatibus suis Apicius, vigesies centena millia florenorum, sive duos milliones, & supra hos insuper trecenta & triginta tria millia & aliquot florenos. At ubi milliones duos confregisset gulâ, visus

(a) *Alii, Gabius.*
(b) *Martial. lib. 3. epigra. 17.*

visus est sibi decoxisse. Restabant tamen trecenta millia florenorum cum reliquâ non levi pecuniæ sorte, quam nondum abligurierat. Hoc est quod Martialis canit: Dederas sexcenties HS. ventri. Centies HS. supererat. Nihilominus Apicius velut conturbatis nimiùm rationibus, & ad incitas, ut censuit, redactus, vitam vi finiit. Seneca ganeonis hujus crebram mentionem injiciens: Apicius, inquit, nostrâ memoriâ vixit, disciplinâ suâ seculum infecit. Cùm enim sestertium millies, sive tres auri milliones & plura in culinam congessisset, ære alieno oppressus rationes suas coactus inspexit: superfuturum centies H S. computavit, velut in ultimâ fame victurus, veneno vitam finivit. (a)

Quanta luxuria erat, cui sestertium centies egestas fuit? I nunc, & puta pecuniæ modum ad rem pertinere, non animi. Ille opibus modus est, qui modus est animo. Tam parvæ mentis homini ultima potio saluberrima fuit. Cum hoc amplissimi patrimonii gurgite Salomonem pauperem conferre facilè persuadeor. Salomon annui censûs qui ærario illatus, habuit triginta septem milliones, insuper quadringenta tria millia, quingentos octoginta scutatos. (b) Si ad ducatos hanc auri vim putemus, & uni ducato duos tantùm florenos nostrates tribuamus, erunt sexaginta sex milliones nostratium florenorum. Ad his rationes dona

(a) *Sen. Consol. ad Hel viam matrem caput.* 10. *&* 11.

(b) *Vnus scutatus habet* 20. *bacios.*

dona non trahimus. Tam incredendos reditus annuos, nemo, reor, Imperatorum, Regum, Principum unquam habuit aut habiturus eſt. Rex quidem Sinarum, ut ajunt, proventuum annuorum centum viginti milliones numerat, ſed ille ſubditis, præter alimoniam & veſtem nihil relinquit. Salomon tot annuorum millionum dives, nihilominus depauperatus eſt, & pæne conturbavit. (*a*) Superi! Quanta luxuria fuit, cui ſexaginta ſex milliones annui, egeſtas fuerunt? Hebræi ad illud Eccleſiaſtæ dictum: Vidi ſub ſole nec ſapientum eſſe panem, nec doctorum divitias: (*b*) Opinantur Salomonem ad incitas redactum, & baculo nixum mendicaſſe. Fuiſſe pauperem, faſti regii clariſſimè docent. Nam ſubditos priùs opulentiſſimos acerbis exactionibus preſſit & ſumptu exhauſit. Vix enim fato functus eſt Salomon, ſubditi quamprimum filio Roboamo ſupplices: Pater tuus, inquiunt, duriſſimum jugum impoſuit nobis: tu itaque nunc imminue paullulùm de imperio patris tui duriſſimo, & de jugo graviſſimo quod impoſuit nobis, & ſerviemus tibi. Qui ait eis: Ite uſque ad tertium diem, & revertimini ad me. Tulit hanc moram populus. Interim, Roboamus parentis ſui conſiliariis ævo & uſu magnis in ſenatum coactis: Quid ſuaderis, inquit, quid populo reſpondendum? Vox omnium erat, verbis agendum mitibus, & petitioni cedendum, & plebem ad cuncta fore obſequentem. At Ro-

(a) Mehr dann halb verdorben.
(b) *Esclef. cap. 9. verſ. 11.*

Roboamus rex ſpreto ſenum conſilio juvenes ſecum educatos, ſi ſcientiam & rerum uſum ſpectes, adoleſcentulos vix à lacte remotos(a) audiit, & conceptis eorum verbis ita reſpondit populo: Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei. Et nunc pater meus poſuit ſuper vos jugum grave, ego autem addam ſuper jugum veſtrum; pater meus cæcîdit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus. (b) Hoc nimirum eſt columbas ineſcare fuſtibus. En Salomonis in cives & ſubditos imperium appellatur jugum graviſſimum, imperium duriſſimum. Sed tantùm abfuit, hoc relevari, ut eo etiam aucto, qui ante urticis, poſt ſpinis, qui antè flagellis, dein ſcorpionibus, flagris hamatis ſint cæſi. Iniquè, impiè, ſtultè. Hîc geminum nectimus documentum politicum & divinum.

Politicum: Eruditus Philo quæſtionem ponens, Cur prohibeat Deus aliud in vineâ ſemen ſpargi? Ne bonus ager, inquit, prematur, onere graviſſimo vexatus, vel ſerentium plantantiúmque operis in Orbem redeuntibus, vel duplicatâ feracitate fructuum. Vos autem cùm ex eodem fundo colligatis in vere hordeum atque triticum, in æſtate fructus; arborem duplici tributo gravatam quandoquidem opprimitis: fieri non poteſt quin fundus exhauſtus deficiat. Ita fit cùm ſubditi avarè vexantur, & ſanguis exprimitur, neque vita invenitur, à quâ ſperari

(a) Junge Milchmäuler.
(b) *3 Reg. cap. 15. verſ. 10. & ſeqq.*

ſperari poſſit uſus. Vis eſſe dives dominus? Cura ſubditos tales eſſe. (a) Idem Caſſiodorus fuſiori diſſertatione confirmat. (b) Res ipſa & uſus loquitur: Dives agricola, dives Toparcha: egenus agricola, pauper Toparcha. Hoc penſi Salomon non habuit. Idem populum ſuum & locupletavit & depauperavit. (c)

Divinum eſt documentum alterum Gregorii Nazianzeni, qui ad Iulianum Cęſarem perorans: Quo modo, inquit, alios deſcripſerimus in libro rationum & censûs, eodem ipſi quoque deſcribemur. Hanc deſcriptionem ſi facilem & accommodam experiri cupis, fac te commodum nobis & humanum præbeas. Quâ ſcilicet menſurâ menſi fuerimus, remetietur nobis. Si rigidi ſimus exactores, talis etiam in nos judex ſupremus erit. Sin autem facilem veniam promptámque gratiam præſtemus, benignum & ipſi clementémque non tam judicem ſentiemus quám patrem. Redit in auctorem elocata pietas. Nemo gratis in alios bonus eſt. Exercitata virtus numquam caret fœnore.

Sed obſecro quo tandem conſilio & ratione Salomon rem familiarem geſſit, ſi annuatim ſexaginta ſex auri milliones ex oleo, vino, frumento habuit; ſi tot inſuper vectigalia, indictiones, tributa, collectas, dona recepit, & nihilominus eguit, ærario miſerabiliter laborante? Ne miremur. Si familia

X mille

(a) *Philo. l. de Creatione principum, fine.*
(b) *Caßiodor. l. 5. var. hiſt. c. 39.*
(c) Reicher Baur / reicher Edelman / armer Baur / armer Edelman.

mille cogatur ſuſtinere dominas, quarum ſeptingentæ haberi velint reginæ, quot famularum millia, quisnumerus erit famularum? Hac certè ratione vel fontis perpetua largitas exhauriatur. Ita Salomom ſeipſum ſuoſque ſubditos non egenos ſed & impios effecit exemplis longe peſſimis, vix ampliùs abolendis: ita ſe ſuúmque populum omnem depravavit & perdidit. Quanta luxuria erat, cui tot auri milliones egeſtas erant? Pæne unica tantorum ac tot malorum cauſſa fuit. Libido nullis unquam diris ac execrationibus ſatis deteſtanda. Niſi Salomon in domeſticas libidines adeò effuſus fuiſſet, & ipſe & ipſius ſubditi rebus omnibus abundaſſent, ab hoſtibus undique tuti, tranquillitate ac pace longè optatiſſimâ. At ubi Salomonis ædes libido ſubiit, evanuerunt opes, gloria, honores, ſapientia. Quod huic regi & regno evênit, idem cuivis homini & ejus rebus accidit: libido peſſundat omnia; hæc peſtis animum & corpus in perniciem impellit. Res liquida & à principe oraculo certa: Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. Quis illo pauperior, à quo Deus ſuum aufert ſpiritum? Quare Salomon ad copioſam paupertatem redactus ſit, origines mali deprehendo quatuor. 1. Sibi ipſe nimiùm fidebat. 2. Modica ſpernebat. 3. Libidini nimiùm indulgebat. 4. Exemplum civibus pernitioſiſſimum edebat. His mali fontibus conformes quatuor atteximus præceptiones.

I. *Diffide tibi ipſi*. Summum malum ſui fiducia. Bonum ingens fiducia in Deum.

Ecquis ſibi ipſe credat fidátque vel minimùm poſt tantorum turpiſſimos lapſus? Veriſſimum hîc illud Bernardi: Non es Samſone fortior, non es Davide ſanctior, non es Salomone ſapientior. Ceciderunt iſti; quid tibi de te promittis? Excidit innocentiæ ſtatu Rex David, qui parricidium adulterio adjecit, gemini ſceleris reus, levi compendio. Infatuatus pravis amoribus Salomon oſtendit nequitiam & ſtultitiam ſupremam in ſapientiſſimos poſſe cadere. De Samſone Judicum ſyllabus teſtatur: Abiit in Gazam Samſon, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſsúſque eſt ad eam. Poſthæc amavit mulierem quæ habitabat in valle Sorec, & vocabatur Dalila.(a) En fortiſſimum, en & ſanctiſſimum ac ſapientiſſimum in perniciem dederunt libidines. Hæc ruinarum initia. Omnis mali ſeminarium libido. Diffide tibi ipſe.

II. *Ne ſperne modica.* Incendiorum crebriùs fuere origines ſcintillæ; E levibus cauſſis quandoque lapſus turpiſſimi. Oſeas vates Hebræus: Comederunt, inquit, alieni robur ejus, & neſcivit.(b) Planè alieni à nobis dæmones, ſuggerendo cupiditates, ſubtrahunt vires. Et ipſe exponit Hieronymus, neſcivit, adverſarios putans amicos, & devoratores ſuos arbitrans convivas. In eam rem ſollicitè monens Bernardus: Attende, inquit, ſolerter quid diligas, quid metuas, unde gaudeas aut contriſteris, & invenies cor quale forſan non quæſiiſti. Si Salomon ſeipſum

(a) *Iudic. c. 16. v. 1. & 4.*
(b) *Oſ. cap. 7. verſ. 9.*

ſæpius interrogaſſet: *Quid diligo?* Inter tot mala nunquam ſuſpiraſſet. Alieni comederunt robur ejus, *& ipſe neſcivit*. Vxores ipſius veri Dei cultum initio neglexerunt, dein & damnarunt: paullatim varios ſuorum deorum cultus inſtituerunt. Hæc Salomon diſſimulavit primùm, progreſſu temporis permiſit, demum etiam approbavit, ratus fortaſſis ſuam cuique religionem concedendam liberam. Mente Salomonis ita jam emotâ, conjugum una, forſan Pharaonis filia omnium chariſſima, ſuo Deo fanum rogavit extrui, ſecutæ ſunt & aliæ preces eaſdem admoventes marito: nec enim minus ſe reginas geſſerunt quàm eſſet illa Ægyptia; quia verò diſſimiles habuerunt Deos, diverſa illis templa fuerant condenda. His abſolutis rex invitatus ut aliarum quoque gentium ritus ſuâ ſaltem præſentiâ decoraret, annuit, adfuit, vidit, periit; his paſſibus ad idololatriam devenit. Ita veriſſimum Jobi dictum: Lapides excavant aquæ, & alluvione paullatim terra conſumitur.(*a*) Ne igitur ſperne modica: Qui ſpernit modica, paullatim decidet.(*b*)

III. *Scandalum morte pejus æſtima.* Apertiſſimè proclamat Chriſtus: Væ Mundo à ſcandalis, Væ homini per quem ſcandalum venit. Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.(*c*) Rex Salomon

(a) *Iob. cap.* 14. *verſ.* 19.
(b) *Eccli. cap.* 19. *verſ.* 1.
(c) *Matth. cap.* 18. *verſ.* 6.

lomon exemplis nocuit perniciosissimis. Iudæi jam ante ad idololatriam pronissimi ad sacrilegos ritus currebant; currentibus Rex iste calcar addidit. Ita ostium ingens patuit idololatriæ, & unà infinitis sceleribus. Tantò autem gravius est exempli mali, seu scandali peccatum, quantò latius est atque diffusius malum exemplum. Hoc autem Salomonis offensum publicum non toto tantùm grassabatur regno, sed orbe toto. Omnium principum Regúmque oculi in unum Salomonem jam idolorum cultorem ibant. Væ homini per quem hoc scandalum venit. Satius est medio natare oceano, quàm exemplo nocere pravo.

IV. *Luxuriæ vel umbram, fuge.* Luxuria rectissimè appellatur, Nequitia lutulenta, vitium potentissimum. Uti lusor qui aleâ omnem reculam confregit, vacuatam numis crumenam invertit, ita Luxuria Salomonis animum ejectis virtutibus ad lubitum tractavit. Gregorius id asserens: Ab assiduâ, inquit, carnis petulantiâ, usque ad mentis perfidiam pervenit. (*a*) Quàm verè dixit Siracides: Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes. (*b*) Exemplo sint illi duo vetuli nebulones, Babylonii judies, alienæ pudicitiæ subsessores, quibus omnem rationem & Dei timorem rapuit aspectus libidinosus. Viderunt Susannam in horto lavantem & perierunt. (*c*) Horum omnium locupletissimus testis Oseas: Fornicatio, in-

 quit,

(a) *Greg. l. 12. mor. cap. 12.*

(b) *Eccli. cap. 19. vers. 2.*

(c) *Dan. cap. 13.*

quit, & vinum & ebrietas auferunt cor.(a) Quapropter Paulus gravissimè hortatur & clamat: Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est; qui autem fornicatur in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. (b) Fuge fornicationem, fuge luxuriam, & vel umbram illius declina. Qui serpentis caudam, qui leonis ungues, qui umbram tigridis cernit, nec serpentem, nec leonem, nec tigridem procul esse credit & fugit. Vbi umbra luxuriæ, ibi non procul ipsa est; fuge, fuge. Vel Salomonem clamantem audi: Sapiens timet, & declinat à malo. In itinere contemptorum vorago. (c)

Hæ sunt illæ quatuor Harpyiæ, quæ Regem opulentissimum depauperarunt. Qui evadere cupit vitiosam hanc paupertatem, ne ipse sibi fidat, ne modica spernat. Exemplum perniciosum ne prodat, luxuriam omnem fugiat. Fabius Maximus in regem Bituitum pugnans, in acie ipsâ, febri quartanâ, quæ ferè solet occupare annum, liberatus est: qui continentem luxuriæ febrim cupit discutere ac submovere, non in segni otio, non in molli lecto, non in saliari mensâ, non inter pocula, non inter gynecæum, nec inter jocos & risus, sed in pugnâ inter

luctas,

(a) *Os. cap. 4.*
(b) *1. Cor. c. 6. v. 18. & seqq.*
(c) *Pro. c. 14. v. 16. & c. 13. v. 15.*

luctas & dimicationes, fame, siti, vigiliis hunc morbum depellet. Luctandum & pugnandum. Nec enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.

CAPVT XIV.

Salomon Morbidus & Inglorius.

GRæcus & vetus scriptor Hierocles inter facetias narrans: Homo non leviter desipiens, inquit, ad omnia se aptum sibi ipse credidit, omnia in se decora, vestem, incessum, gestus, sermonem censuit. Id tamen etiam avebat scire an somnus se deceret, idque experientiâ certâ cupiebat exploratum habere. Speculum igitur adit, & oculos claudit, visurus, an somnus etiam, perinde ut cetera, sese deceret. Quis albæ mentis hominem non rideat, qui speculum opertis oculis consulebat; ut reipsâ exploraret quàm eleganter ac scitè dormiret?

Tertius Hierosolymorum rex Salomon, Deum velut universi speculum immensum, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam est, adiit, sed adiit oculis clausis. Nec enim erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus. *(a)* Licentiosiori vitæ Salomon altùm indormiit; scire tamen desiderans, num hic somnus se deceret: Dixi in corde meo, inquit, si unus & stulti & meus occasus erit, quid mihi prodest quòd majorem sapientiæ dedi

(a) 3. *Reg. c.* 11. *v.* 4.

operam? En, clausit oculos. Quid igitur mirum, si non videat quàm turpis hic somnus se graviter dedeceat.

Salomon humanæ vitæ speculum, sed apertis oculis inspiciendum, & vitia nobis & vitiorum pœnam hactenus exhibuit spectandam. Vidimus Salomonem mœroribus afflictum, penuriâ pressum. Hoc capite spectandum se dabit, *Salomon Morbidus & Inglorius.*

§. I.

Ævo ingravescente variis morbis Salomon oppressus est. Quod ipse non dissimulans per Ecclesiasten suum queritur, simul & hortatur: Memento creatoris tui, antequam tenebrescat sol, & lumen, & luna, & stellæ, & revertantur nubes post pluviam. Sol intelligentiæ deficit, memoriæ lumen hebescit, Voluntatis luna decrescit, & mutatur in dies, & pæne in horas; vult & non vult; stellæ oculorum turbidæ ac pluviosæ, & nubes revertuntur post pluviam, gravedo & destillationes perpetuæ. (*a*) Pedes nutant, dentes vacillant & cadunt, oculi caligant: Vox gracilescit, somnus fugit, obsurdescunt aures, ad tumbam fatiscunt omnia. Hęc Salomon expertus in seipso; tempus afflictionis demum advenit, & appropinquaverunt anni, de quibus dixit, non mihi placent. Morborum in Salomone tres caussæ. Prima, Mœror animi & tristitia. Reverâ spiritus tristis exiccat ossa: Vita carnium sanitas cordis. (*b*) Valerius Anselmus in suo

(a) Ewige Cathart.
(b) *Prov. c. 17. v. 22. & c. 14. v. 30.*

ſuo catalogo Principum: Vltore Deo, inquit, & gravi ex mœſtitiâ mortuus eſt Salomon. Vidit enim in quod profundum venerit. Secunda. Libidinis intemperantia, ob quam diu ſanus & vegetus eſſe non potuit. Interrogentur ſuper eâ re doctiſſimi medici, quot morbos efficiat, quot vitæ annos præſcindat hæc libidinum intemperies, quæ denique corpus effœtum & conſcientiam vulneratam deſtituit. Hæc luculentiſſimè probat Hippolytus Guarinonius, è medicorum ſenatu vir lectiſſimus. Tabularum fidem hîc produco. (*a*) Vita brevis, vita intemperans & libidinoſa. Tertia cauſſa, Vindicta divina quæ laneis incedit pedibus, & plerunque ſerò venit, ſed tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. (*b*) Salomon diu opulentus, diu pacificus, diu ſoſpes & ſanus, ſed pace, opulentiâ, ſoſpitate abuſus demum factus eſt Morbidus. Non fit injuria volenti.

Ad morbos acceſſerunt ingens gloriæ decrementum, ignominia, opprobrium. Inde Salomon planè inglorius. Salomonis juſti, ſapientis, ſancti quanta per Orbem ſparſa eſt gloria. Promiſerat Deus: Sed & hæc quæ

 non

(a) D. *Guarin lib. 5.* Im Grewel dar verwüſtung Menſchlichen Geſchlechts/ ꝛc. *lib. 5. parte 4. c. 60. mihi pag.* 1093. Bloß natürliche *Demonſtration.* Vnderweiſung / wie daß zu behendiſter vertilgung aller Menſchlichen Kräfften / verwelckung der Jugendt / vnd vnfürſehner verkürtzung deß Menſchlichen Lebens / kein vbel vber die ſchändtlich *Venus* ſey.

(b) Gott kombt langſamb / kombt aber wol.

non poſtulaſti, dedi tibi, divititas & gloriam. (*a*) Sed, quod Tullius dixit: Vera gloria veræ virtutis comes eſt. Dum Salomon adhæſit Deo; dum virtutibus ſtuduit, illius gloria omnes Orbis regiones penetravit: quamdiu integer & ſanctus egit, honoribus circumfluxit, ingenti nomine fuit. Divinæ promiſſionis eſt: Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. (*b*) Deſertores ſuos deſerit Deus.

Theologorum antiſtes Thomas Aquinas de Principum Regimine diſſertans: Salomon, inquit, ex luxuriâ & idololatriâ factus eſt abominabilis populo ſuo, in tantum ut ſervi ejus rebellarent ei, vaſtantes terram abſque reſiſtentiâ, cùm tamen prius omnes obedirent ad nutum. (*c*) Annis prioribus adorabatur Salomon, jam vulgi fabula & opprobrium. Ah, quàm miſerabilis hæc fuit mutatio! Quis cum lacrimante vate non lacrimetur & dicat: Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus principem Sion: projecit de cælo in terram inclytum Iſraël, & non eſt recordatus Amabilis ſui, in die furoris ſui. Præcipitavit Dominus nec pepercit. (*d*) Hic aliquantulùm philoſophemur, ſed religiosè ac ſobriè firmandæ pietati.

Videte, Chriſtiani, obſecro videte, quanti ſit momenti vel unicam letalem noxam committere, vel ſemel à Deo ſeſe avertere: hoc

(a) 3. *Reg. c.* 3. *v.* 13. (b) 1. *Reg. c.* 2. *v.* 30.
(c) *S. Thom. l.* 3. *de regim. princ. c.* 8.
(d) *Threnor. c.* 2. *v.* 1. *&* 2.

hoc enim capitale crimen eſt: Averſio à Deo, converſio ad rem creatam, ad pecuniam, ad mulierculam, ad gloriolam vanam. Quiſquis hoc vel ſemel duntaxat auſus fuerit, æternis flammis urendum ſe abjicit; nec mirum ſit ulli, ſi pereat æternùm, quia profeſſus eſt eſſe ſe hoſtem Dei. Hinc, nullum in Orbe miſerius animal homine illo, qui vel unico letalis noxæ piaculo ſe obſtrinxit: ſummum Orbis malum, facinus mortiferum. Miſerrimus omnium eſt is, qui animum noxâ letali gerit inquinatum; leviſſimo fit momento ut eum ſubitaria mors è lecto, è choreis, fabulantem, ridentem, nil minus quàm mori cogitantem abripiat ad inferos. Nullâ profectò horulæ parte ſecurus eſt de vitâ longiore: repentina eum diſtillatio vel caſus alius ſternit; corpus in tumulum, animus abripitur in tartarum. Qui ſic obit, æternùm perit, juratiſſimus & ſempiternus Dei hoſtis.

Deinde nil prorſus miri, tranſitiones & tranfugia, defectionéſque turpiſſimas à Deo, à religione, à fide, ab omni ſanctitate fieri: nam eo ipſo quòd quis vel ſemel Deo rebellare audet letali ſcelere, Deus ipſi omnem ſubducit gratiam, omnémq; ſpiritûs vitam, ut dici poſſit cælo Deóque mortuus. Ita mancipium fit diaboli qui miſerum levi niſu ab uno in aliud impellit flagitium. Quis prohibeat rem mancupi applicare? Sin autem reſipiſcat, & cum Deo in gratiam redeat, miraculum majus, quàm ſi verè mortuus reviviſcat. Atque hinc nemo miretur Salomonem in eas extremitates abiiſſe, tam altis

altis hauſtum præcipitiis, quia ſemel auſus capitale crimen admittere. Quo verò tempore Salomon primam letalem noxam commiſerit, ſciri non facilè poteſt; eo fortaſſis quo Pharaonis filiam, contra Dei legem expreſſam in matrimonium duxit. Hoc ſcimus: Præcipitavit Dominus, nec pepercit. Qui hominibus ſerviunt, ſi plurimorum annorum obſequiis ſuos ſibi dominos credant devinctos, ita nonnunquam argumentantur: Quid hoc? Tamdiu huic domino ſervierim, annis viginti, triginta, vel quadraginta, & jam ob neſcio quam offenſiunculam ſubitò rejiciar? Quæ iſta æquitas? Iniquum ſit forſan inter homines. Deus hoc æquiſſimè facit. Servieris Deo quinquaginta vel etiam centum annis, famem quotidianam pane tantùm & aquâ refeceris, continuis jejuniis exhauſtus, ſex quotidie horas precationibus impenderis, quotidianis flagris carnem objurgâris & cruentâris, ſi poſt tot annos ſic exactos culpam letalem admittas, gratiam collectam effudiſti omnem. Præcipitabit te dominus, & non parcet, idque æquiſſimè.

Hîc nemo unquam ſatis mirabitur, & attoniti quæremus ſemper, quid eſt quòd Deus vel unico letali delicto ſupplicium ſtatuerit æternum? Quantumcunque apud nos facinoroſus homo, vel læſæ Majeſtatis etiam reus, qui reges, qui Cæſares obtruncarit, exquiſitiſſimis quidem tormentis afficitur, ſed ea triduo, ſummum unâ durant hebdomade; cæditur, laceratur, uritur, in partes diſcerpitur. Aut ubi ſupplicia ſua jam exhau-

exhausit, si reviviſceret occiſus, diceretur: Iam vivat; morte luit, & acerbâ quæ debuit. At verò Deus, unicam, verbi gratiâ, luxuriæ, vel invidiæ, vel ſuperbiæ malignio-rem cogitatum ſuppliciis punit ſempiternis. Sic Apoſtatarum Angelorum VELLE unicum aut NOLLE, ſic in Protoplaſtis unicum pomi raptum non deſituris vindicat pœnis, & quidem, ut Theologi loquuntur, citra condignum. Dicite Chriſtiani, obſecro quid tandem hoc mali eſt quod iram Numinis æternam nutriat? Liceat hic mihi confidentiâ ſinceriſſimâ loqui. Ego tot annis indagavi, legi, cogitavi, quæſivi, interrogavi ſæpius, quid demum tam abominandæ peſtis inveniri poſſet, cui Deus decreviſſet flammas æternas? Unica letalis noxa totis æternitatibus inter atrociſſimos ignes expiari nequeat? Hujus quidem rei rationes redduntur complures, cauſſarum ſatis multæ aſſignantur, ſed nulla, putem (ſit dicto venia) atrocitatem rei penetrat. Infinitam peccati nequitiam, indeprehenſibilem æternitatis immenſitatem quis ſatis inveſtigaverit? Labor eſt ante nos tam interminata tam incomprehenſa ſcrutari. Eſt non nemo qui dicat: Quid mirum eſt, mortis æternæ reos ſemper puniri, cùm ſemper peccent, Deum divóſque omnes ſceleſtâ linguâ violando? Vbi aſſiduum peccatum, ibi & aſſidua peccati pœna. Non malè. Sed hîc ulteriùs quæram: Cur Deus adeò illis omnem ademit gratiam, ut tres illas à ſe voculas in æternum nunquam impetraturi ſint: Miſerere mei Deus.

Deus. Hîc, obſecro, hîc examinemus aliquantulùm infandam atrocitatem, infinitam abominationem peccati, quod etſi unicum ſit, ipſum miſericordiæ fontem Deum ad iram provocat æternam, nullis ſæculis ſopiendam. Hæc nobis doctiſſimus aliquis Auguſtinus, facundiſſimus Chryſoſtomus aliquis, imò Paulus aliquis cæleſtium arcanorum conſcius exponat: dies noctéſque ab ore viri pendentes audiemus attentiſſimi.

Verùm hæc neque dici, neque ſcribi ſatis, imò nec ſatis cogitari poſſunt. Hæc credimus, utinam firmè. Chriſtiana nos religio docet, infinitam eſſe peccati nequitiam, ob bonum infinitum, ob Majeſtatem Numinis immenſam, quæ læditur: atque hinc juſtè infinitæ malitiæ decerni ſupplicium infinitum.

Hinc ſanctiſſimi Reges & Cæſares ſub extremam vitę periodum monuerunt ſuos, ne unquam eò vellent inſanire ac furere ut capitali crimine ſe obſtringerent. Beato Ludovico Galliarum Regi hoc à teneris unguiculis altiſſimè impreſſum, malle mori quàm noxam contrahere letalem. Quod Ludovicus Vivaldus in diſſertatione de tribus liliis teſtatur his omnino verbis: Mater ejus devotiſſima Blancha, adoleſcenti cordialiter dicebat, quòd potiùs vellet eum mori, quàm Deum mortali peccato offendere. Hujus certè animi fuerunt ſerii omnes amici Chriſti, ſe potiùs in mare igneum quàm in delictum mortiferum præcipitare.

Erant qui Chryſoſtomum graviùs calumniando

niando plurimum laudarent. Cum enim Eudoxia Augusta Arcadii conjux optimum Pontificem non levi odio insequeretur, missi sunt ex aula, aut aliquantulum Imperatrici cedendum, aut vertendum solum. Quibus adeò animoſe reſpondit Chryſoſtomus, ut miſſi oratores redirent re infecta, dicerentque: Hujus ſacerdotis unius animum ſane non expugnamus: Neminem enim timet, niſi Deum & peccatum. Nihil eſt in Orbe tam truculentum ac formidabile, quod vel minimum timeamus, modo timeamus Deum & peccatum. Deum ut ſupremum dominum & patrem amantiſſimum, peccatum ut atrociſſimum omnium tyrannum; Deum ut benefactorem ſummum, peccatum ut capitaliſſimum gentis humanæ hoſtem; Deum ut fontem omnis boni, peccatum ut Lernam malorum omnium, ut maximum & unicum Orbis malum. Hic geminum nobis ſuggerit documentum & Morbidus & Inglorius Salomon.

Primum offert Morbidus: *Vitam ſi amas, oderis vitia.* Salomon ſenex ante ſenium, ad ſeptuaginta vel octoginta annos non attigit, vix ad ſexageſimum pervenit. Humani corporis vires nimium quantum exhaurit Luxuria. Homines Venerei ante ſenectutem fiunt ſenes. Si continentius vixiſſet Salomon, ad annos centum facillimè pervixiſſet: Omnia valetudinis adjumenta ad nutum habuit, herbarum & rerum omnium quæ ſanitati faciunt, ſcientiſſimus fuit. Acceſſerunt promiſſiones divinæ: Si ambulaveris in viis meis, & cuſtodieris præcepta

mea

mea & mandata mea, ſicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos. (a) Non ambulavit, non cuſtodivit; ita nec Deus longiorem ei vitam conceſſit. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. (b) Hilarius hoc in pleroſque omnes improbos dictum autumat, qui majorem partem non perveniunt ad naturalem ætatis metam. Nec dubium eſt quin multa millia quotidie moriantur quibus violenta Parca præſcindit vitæ filum, ob genus vivendi intemperans & improbum. Quicunque igitur amatis vitam, vitia odiſſe memineritis. Dei vox eſt: Quincunque honorificaverit me, glorificabo eum.

Alterum inſtillat Salomon Inglorius. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. (c) Salomon contempſit, factus ignobiliſſimus. Præcipitavit eum Dominus, nec pepercit. Salomon olim Palæſtinæ gloria, nunc Orbis fabula. Quid nos viles mendiculi adversùs cæli Regem inſoleſcimus? Præcipitabit Dominus, nec parcet. Induamus ergo animum Chryſoſtomi, & in Orbe nihil timeamus, niſi Deum & peccatum. Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Multò ſatiùs teterrima quæque pati, quàm letalem noxam vel unicam contrahere. Præſtat in vorticoſum flumen, aut in foveam colubris plenam, aut in flammantes rogos inſilire, quàm à Deo per facinus mortiferum recedere. Præſtat millies mori quàm Deum vel ſemel

(a) 3. *Reg. cap.* 3. *verſ.* 14.
(b) *Pſal.* 54. *verſ.* 27.
(c) 1. *Reg. cap.* 2. *verſ.* 30.

ſemel gravius offendere. Ludus & jocus, eſt primæ mortis momentum ad æternitatem ſecundæ.

CAPUT XV.

Salomon Mortuus.

TIgris animantium ferociſſima, ſimul & curſu perniciſſima, cùm adulta eſt, non facilè unquam capi poteſt, ipſi tamen catulus fertur poſſe ſubduci hoc aſtu. Eques ad fugiendum paratiſſimus, catulum abſente matre ſurripit; & mox admiſſo equo quam poteſt celerrimè fugit. Tigris mater plerunque non diu abſens à prole, cùm eam non reperit, pignoris ſui prædonem quàm velociſſimè inſequitur. Eques venator non ignorans pedeſtrem tigridis volatum pæne cum ventis certare, ut ſæviſſimæ animanti in viâ moram injiciat, rotundum grande ſpeculum abjicit rapidiſſimi cursûs ſufflamen. Nam ſpeculo tigris inſpecto ſuum à ſe catulum videri putat, eúmque ardentiſſimè deſiderat recipere. Interim eques fugâ ſibi conſulit, dum prædam afferat in tutum. Hac venatoriâ fraude tigridis curſus ſiſtitur, & matri tam ſtultè quàm cupidè amanti catulus eripitur.

Horæ diéſque humanæ vitæ currunt volantque celerrimè. Jobo teſte: Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis; qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra. (a) Quid

(a) *Iob. c. 14. verſ. 2.*

celerius? Addit Jobus: Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt & non viderunt bonum.(*a*)Huic rapidissimo cursui nostro diversa Deus objicit. specula, spargitque per viam. Nitidum planè ac admirandum humanæ vitæ speculum fuit potentissimus rex Hebræorum Salomon. Et vult Deus ut tollamus hoc speculum atque inspiciamus. Frequentissimè in oculis sit Salomon moribundus & mortuus. Ut tantò altiùs & tenaciùs animo infixum illud hæreat: Vanitas Vanitatum, & omnia vanitas. Hæc dicit Dominus exercituum: Contemplamini & vocate lamentatrices ut veniant.(*b*)Hactenus Salomonem vivum spectavimus, nunc etiam mortuum & sepultum; hoc capite de ipsius morte ac sepulturâ locuturi.

(a) *Idem cap. 9. vers. 25.*
(b) *Hierem. cap. 9. vers. 17.*

§. I.

Tam Latina quàm Græca, Hebræa, & Chaldæa bibliorum interpretatio asserit Salomonem imperasse Hierosolymis in omnē Israëlem annis quadraginta. Nam anno ætatis decimo nono clavum imperii assumpsit, quadraginta annis tenuit, ita demum anno sexagesimo defunctus est. Fuit annus ab Orbe conditio ter millesimus quinquagesimus nonus. Supremo vitę anno non mala Salomoni cogitatio subrepsit de condendo sibi tumulo. Ita mortem ante mortem meditatus, sepulchrum in monte Sion ad patris sui monumentum sibi jussit extrui,

quo

quo loco regium deinceps fuit ſepulchretum. Illud hîc ſanè admirandum. Rex David Mauſoleum hoc cæpit, Salomon finivit, & tamen omnium, qui ſecuti ſunt, regum capax fuit, hac ſtructuræ formâ: Hypogæum ingens rotundum è mero ſolidiſſimóque marmore fuit exciſum, & in eo quatuor conditoria, Bethſabeæ reginæ & tribus Salomonis fratribus diſcretè ſepeliendis. Ab hoc aliud ſequebatur ampliſſimum hypogæum, cujus utrimque ambo ſemicirculi creatas octodecim ſepulturas continebant. Ex hoc in hypogæum tertium ibatur ſimiliter amplum ſed quadrum. Hîc David è fronte, Salomon dextrâ, lævâ Roboamus eſt ſitus. Illud temere factum videri haud poteſt, quòd Salomon tot omnino ſepulchra ſtruxerit, quot à Davide patre reges ſunt ſecuti ad Ezechiam regum ultimum. Nam ſicut universè unus & viginti reges ſibi ordine ſucceſſerunt, ita unum & viginti ſepulchra à Salomone ædificata fuerunt, non ſine admirabili futurorum prænotione aut præſagitione. Hunc locum Aquilejæ Patriarcha Daniel ipſemet inſpexit & diligentiſſimè dimenſus eſt.

In hoc ſubterraneum palatium mors Salomonem compulit. Nam morbi & mœror ita hunc regem exercuerunt, ut morti ad eum patuerit acceſſus. Vix dubium quin moriturus Roboamum filium vocarit, eúmque oratione gravi moverit, ut traditum ſibi paternum regnum juſtitiâ tueretur. Non leniter tamen cruciabatur & ſollicitus erat Salomon: Habiturus (ut ipſe fatetur) hære-

dem quem ignoro, utrū ſapiens an ſtultus futurus ſit. (a) Nec vana fuit ſollicitudo. Quod Siracides affirmans: Dereliquit poſt ſe, ait, de ſemine ſuo, gentis ſtultitiam, & imminutum à prudentiâ Roboam, qui avertit gentem conſilio ſuo. (b) Fecit igitur Salomon, quod ſolent homines, & mortuus eſt. Sed non illo ſui apud cives deſiderio, nec eâ quâ pater laude. De David patre, Regum chronicon teſtatur: Mortuus eſt in ſenectute bonâ, & plenus dierum, & divitiis, & gloria. (c) Salomon quidem mortuus eſt, ſed non plenus dierum: nec enim ad annum ſeptuageſimum ætate proceſſit, qui facilè potuiſſet ad octogeſimum, aut etiam nonageſimum, ad centeſimum vitam producere; bella non geſſit quæ pater; in pace ſemper egit; calamitates non ſuſtinuit quas pater, felicitatis majorem partem chariſſimus alumnus. Vitæ filum præcidit ipſe ſibi incontinentiâ. Non ſolùm autem dierum, ſed nec divitiarum plenus mortuus eſt, ingemiſcente demum & ad inopiam uſque laborante ærario. Sed nec gloriâ plenus obiit, in gloriæ vicem ſubeuntibus probris & incredibili dedecore. Dedit maculam in gloriâ ſuâ.

O quales quantǽque mutationes! Adoleſcentiam egit ut Angelus, ævum adultum ut diabolus: religioſiſſima juventus, propudioſam habuit canitiem; ætas prior ſapiens & ſancta, vitioſa fuit & fatua poſterior. Nam ſub extremum navigationis feliciſſimæ

(a) *Eccleſ. cap. 2.*
(b) *Eccli. cap. 47. v. 28.*
(c) *1. Par. c. 29. v. 28.*

mæ curſum, ad blandos Sirenum ſcopulos impegit, & luctuoſiſſimum fecit naufragium infelix. An verò à beatitudinis portu penitus aberrarit, ſequenti capite quæremus. Naufragium profectò tale fuit, ut vix ſpes ulla remanſerit evadendi ad ſalutem. Peccavit, quod & alii fecerunt, àn verò reſipuerit cum aliis & egerit pœnitentiam, incertum. Deliquit Moſes in Ægyptio perimendo, Aaron in vitulo ad cultum erigendo; Peccavit Heli filiis malè educandis; David alienâ conjuge temerandâ, marito trucidando, populo numerando; peccavit & Manaſſes, & quidem, quod ipſemet fatetur, ſuper numerum arenæ maris, & unà ſecum innumeros in peccata traxit. Peccavit Theodoſius Imperator & præcipitante irâ ſeptem millia inſontium juſſit mactari: Peccavit & Mauritius Imperator, tenax æris, qui Chriſtianos facili lytro redimere recuſavit. Peccavit Theodoſii conjux Eudocia Eutychianæ hæreſis complexu. Peccavit Liberius Pontifex, qui Arrianis favit, & falſo in Athanaſium judicio ſubſcripſit. Peccavit & Marcellinus Pontifex qui Deorum ſimulacris thus obtulit. Erravit & beatus Cyrillus Alexandrinus, qui monachum ſeditioſum coluit ut ſanctum. Erravit & beatus Cyprianus qui ab hæreticis luſtratos denuo lucrari voluit. Peccarunt & errarunt infiniti alii. Peccata eorum grandia, lapſus graves, errores erant fœdi, ſed quos pœnitentia certa expiavit. Peccavit Salomon: num eum ſeriò peccati pœnituit? Sed non peccavit ſolùm, ſed peſſi-

mo etiam exemplo publico toti regno, infinitis hominibus nocuit.

Æstimari non potest damnum, quod ejuscemodi offensionibus infertur. Nimiùm latè serpunt & ipsum inficiunt Orbem regia hæc exempla. Sed lapsus tam horribilis nullus, nullum tam grande peccatum, nec ullum tam miserabile naufragium est, quod reparare non possit pœnitentia, modò sit matura. Peccamus centies, centies resurgamus: peccamus millies resurgamus millies, & quidem eâdem quâ labimur horâ, lapsum restituamus pœnitentiâ. Hæc enim nec ad horæ partem differenda. Peccasti? mox malagmate aut sinceræ contritionis, aut amoris divini vulnus persana: Dic animo: Deus propitius esto mihi peccatori. Aut; Miserere mei Deus: Tuam legem Domine, imposterum integrè servabo. Quemadmodum enim campanæ rimas agenti nulla ferruminatio, plumbatura nulla mederi potest, furnus Campanicus potest: ita conscientia sive cogitatis seu dictis, factisve læsa, veluti campana fracta & rimosa pessimum edit sonum: hanc sola juverit fornax pœnitentiæ. Ingemisce ac dole, pæniteat facti, & conscientiam juvisti. Tua te à Deo abduxit petulantia; tua te reducat pœnitentia. Vociferatur Oseas: Væ eis, quoniam recesserunt à me. (a) Væ multiplex in Salomonem proclamatum est: Væ Salomonis animo quem mœror deducet ad mortem: Væ Salomonis regno quod trigeminus incursabit hostis: Væ Salomonis ærario, quod suspirabit in

(a) *Os. c. 7. v. 13.*

bit in fundo: Væ Salomonis gloriæ, quæ abibit in fumum: Væ Salomonis corpori quod exugent varii dolores & morbi: Væ Salomonis fini, nisi priùs Salomon resipiscat, quàm finiat: Væ, quantus quantus est, Salomoni, quoniam recessit à Deo. Videte ut Deus recedentem à se fatigaverit: Hîc remediorum nihil est nisi quod una & sola suggerit pœnitentia. Hîc verbis nihil agitur nisi piacularibus illis: Miserere mei Deus. Quicunque igitur à Deo recessistis per culpam, redite ad eum per pœnitentiam.

Sed hîc caveamus sedulò: sua habet & Mundus specula que projiciat in viâ; ne tolle, ne inspice. Hîc varia humanæ curiositatis ludibria decipiunt. Hîc vitæ longioris amor cernitur, qui seræ pœnitentiæ pollicetur tempus; hic humanus favor, res omniũ blandissima, oculos effascinat; hîc numerosæ facultates, & opulenti census annui pelliciunt; hic Cupidines, hîc variæ fallunt voluptates. Hîc plurimi sanè se ipsos suaviter inveniunt, uti tigris, quam speculum ita deludit, ut perdat quod tenere se putat. Cavete mentientis speculi pellecebras; insidiæ sunt & præstigiæ fallendis oculis locatæ. Fallax gratia & vana est pulchritudo, fallax opulentia & vana est claritudo, fallax potentia, & vana est amplitudo, fallax & vana est omnis celsitas & voluptas. Decepta oculorum credulitas nescio quid magni sibi fingit & diuturni, umbra est merissima. Non èst beata hæc vita, non est, ah fallimur, non est: Vanitas vanitatum, & omnia vani-

tas. Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas regúmque turres : Lilia sensibus miscentur;Crœsus & Codrus,Salomon & Lazarus eâdem hauriuntur specu. Omnem Salomonis luxum luctus succedens glutiit. Vanitas vanitatum & omnia vanitas.

CAPVT XVI.

Salomon Beatus an Damnatus?

Pausanias in Arcadicis narrat non procul Megalopoli in templo Heræ seu Cereris appensum parieti speculum sic esse factum, ut in eo statuę Deorum cernerentur omnes, hominum nullæ. Salomonem humanæ vitæ speculum contemplati sumus hactenus, de quo pæne contrarium sit asserendum. Siquidem Hebræus Rex iste, cùm annum ætatis ageret quinquagesimum quartum, eos præ se mores tulit, ut ferè nihil spiritale aut divinum saperit; omnia illius cupiditates & libidines olebant. Hinc Salomon Negotiosus,
Inconstans,
Prodigus,
Avarus,
Carnalis,
Luxuriosus,
Ingratus,
Superbus,
Imprudens,
Fatuus,
Idololatra & Magus,

Mœrore

Mœrore afflictus,
Penuriâ pressus,
Morbidus & Inglorius,
Mortuus,
Beatus an Damnatus?

Nunc superest quæstio à Salomonis ævo inter eruditos agitari solita: Num verè dici possit *Salomon pœnitens.* Si hoc ei competat elogii, libere dicemus: *Salomon Beatus.* Super eâ re Senatus eruditorum in triplicem abiit sententiam. Prima: Salomon peccatis immortuus & damnatus. Altera: Salomon resipiscens & beatus. Tertia: Lite & judicio suspenso neutrum dicit. Quam verò nos sententiam sectabimur? Illud huic dissertationi præstruo: Hæc ab hominibus certo sciri non posse. Nunc illam triplicem sententiam animus est exponere. Addam, quid ego sentiam, non ut judex, sed ut testis, qui alienam laudat sententiam.

§. I.

Protagoras de omni re in utramque partem ex æquo disputari posse affirmat. Multas etiamnum Ecclesia quæstiones agitat, ut problemata; & adhuc sub judice lis est, caussis nondum integre disceptatis. Inter eas numeramus & istam, Num Salomon sub vitæ finem plenè resipuerit. Beatæ Mechtildi de beatitudine quorundam dubiæ, ac sollicite interroganti, responsum ajunt cælitus in hunc modum: Quid pietas mea, cum anima Samsonis egerit, volo esse

ignotum: Quid miſericordia mea de animâ Salomonis conſtituerit, volo latere: Quid benignitas mea de anima Origenis decreverit, volo abſconditum: Quid miſericordia mea de Trajani animâ definierit, volo ignorari. Non magni facimus hoc viſum è duplici capite. Primum eſt: Samſonem inter beatos numerant divini libri: Dilucidè Paulus catalogum texens cælo receptorum: Deficiat me tempus, inquit, enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, David, Samuel & prophetis, qui per fidem devicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. (*a*) Res clara. Fabulam de Trajani anima refellit doctiſſimus Baronius, (*b*) oſtenditque hunc Cæſarem fuiſſe hominem ſceleſtum, ſævum, in Chriſtianos tyrannum, occultis libidinibus contaminatum; potuiſſe tamen videri non peſſimum ad Imperatores alios collatum. Ita illa viſio auctoritatis eſt exiguæ. Sed ſententias enumeramus.

Prima Salomonem flammis addicit ſempiternis. Neque id ſine rationibus adſtruit. Earum prima eſt, nulla uſquam mentio pœnitentiæ quam utique non ſubticuiſſent ſacræ paginæ, quæ flagitia Salomonis detexerunt. Altera, Idololatriam primus Hieroſolymis admiſit, regnumque totum infecit, idola non tantum non ſuſtulit, ſed impias gentium ſuperſtitiones confirmavit. Atqui non neſcimus quã graviter vitiorum aucto-

(a) *Hebr. c.* 11. *v.* 32.
(b) *Baron. tomo* 2. *&* 8. *Annal.*

auctores ſoleant puniri. Qui primus ſabbatum colligendis lignis temeravit, factum morte luit. (a) Tertio, ampliſſimas Dei promiſſiones, & graviſſimas comminationes rex impius contempſit, ita ſe poſteroſque contumaci auſu præcipitavit. Quarto, ademit Deus omnem Salomoni ſapientiam, nec dubium quin pariter omnem gratiam ademerit. Non erat cor ejus perfectum cum Domino: Quo loquendi modo ſacræ paginæ malam vitæ clauſulam ſignificant.

Altera ſententia, in neutram nimirum partem vergit; nec cælo aſſerunt hunc regem, nec detrudunt Orco magni nominis auctores. Dubie loquuntur, cum Protagora, & quæſtionem hanc in problema trahunt. Modeſta & mitis cenſura.

Sententia tertia inter cælites refert Salomonem. Quid hîc faciam? quibuſcum ſentiam? Animi revera pendeo, cum è minima ſocietate noſtra pro quavis ſententia duo primarii ſcriptores ſtent, quorum illi primam, iſti alteram, hi tertiam propugnent: Anceps hæreo. Durum videtur, & aliquando ſupercilii eſt, diſcipulum à præceptoribus diſſentire. Sed veritas & amicis & magiſtris omnibus anteferenda: Duo ergo primi, Robertus Bellarminus & Benedictus Pererius, è ſcriptis uterque notiſſimus, Salomonem ad inferos dejectum autumant. Alteri duo Sebaſtianus Barradius & Ioannes Maldonatus, è libris in lucem datis non minus noti, medios ſe gerendo in neu-

(a) *Num. c. 15. v. 32.*

neutram inclinant partem: nec enim receptum cælo pronuntiare audent, nec sepultum tartaro. Denique cum Areopagitis judicibus dicunt: *Non liquere.* Tertii duo Ioannes Pineda & Iacobus Salianus, è suis voluminibus quæ scripserunt, æque noti, Salomonem in piorum sedes evectum judicant. Hîc mihi non bivium duntaxat sed trivium offertur: quà pedem inferam? Non diffiteor, ante annos sat multos cum primis senseram. Sed re melius expensa, ab illis seorsum sentio, & totus in opinionem tertiam discedo, censeoque Salomonem cælo donatum. Hæc non ut judex sed ut testium infimus dico. Prioribus quatuor ut meis majoribus, jure plurimum defero, sed ab eorum opinione, cum veniâ, hîc recedo. Potior omnium veritas, cui præ ceteris, conformior ultima videtur esse sententia. Nec ea rationibus destituta est.

Prima, sanctorum Patrum auctoritas; Duodecim è priscis illis Patribus numerantur, quorum omnium eo sententiæ decurrerunt, ut censuerint Salomonem cælo non exclusum. In illo duodecimviratu Hieronymus, Ambrosius, (a) Thomas Aquinas. Huic Theologiæ principi, partes utique non oscitanter examinanti, difficile est refragari. Ad priscos illos Patres accedunt septuaginta interpretes qui isto animo veniunt, illudque eis assentiuntur. Nec difficile, ratiocinationes adversæ partis solvere.

Deinde

(a) *Ambrosius, ter sanctum nominat.*

Deinde litteræ divinæ ſæpius mentionem injiciunt Salomonis noxas fatentis. Quàm illud ſubmiſsè dictum : Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum. Non didici ſapientiam, & non novi ſcientiam ſanctorum.*(a)* Nunquid hoc non eſt conſcientiæ labes ac vulnera patefacere? Regum faſti Salomonis obitum ita commendant : Dormivit Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate patris ſui. *(b)* Ambroſius exiſtimat, Dormire cum patribus ſuis, apponi ad patres ſuos, ferè tantùm de bonis regibus dici. Nam de Roboamo dicitur : Confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos, ambulaverunt enim in viis David & Salomonis, annis tantùm tribus.*(c)*

Tertio, Salomonem à Deo non æternæ morti addictum, Dei promiſſiones ampliſſimæ teſtantur hunc in modum : Ego ero ei in patrem & ipſe erit mihi in filium, qui ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virgâ virorum, & in plagis filiorum hominum : miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amovi à facie meâ.*(d)* Minatur Deus ſe Davidis filium, in ſolio ſucceſſorem, ſi minùs frugi ſit, virgâ virorum, & plagis filiorum hominum, non dæmonum à ſe corripiendum : perinde ut pater tenellum parvulum cædit, ſed parcente manu. Ita Deus Salomonem non

(a) *Prov. cap.* 30. *verſ.* 2. *&* 3.
(b) 3 *Reg. cap.* 11. *verſ.* 43.
(c) 2 *Par. cap.* 11. *verſ.* 17.
(d) 2 *Reg. cap.* 7. *verſ.* 14. *&* 15.

non æterni ſupplicii flagris, ſed brevioris pœnæ virgulis caſtigavit ad frugem.

Quartò, Salomon non ſolùm Chriſti Domini typus & imago, ſed etiam inter primarios fuit ſcriptores ſacros, è quorum omnium numero quem ad inferos dicemus præcipitatum? Amanuenſem & ſcribam ſpiritûs ſancti non immeritò locamus cælo.

Quintò, Extant teſtimonia pœnitentiæ à Salomone actæ. Quam uti credibile, cœpit agere anno imperii ſui trigeſimo nono, ætatis ſuæ quinquageſimo nono; duobus ultimis vitæ annis tres ſcripſit libellos, Proverbia, Cantica Canticorum, Eccleſiaſten. In his publicam certè confeſſionem delictorum eſt legere: agnoſcit lapſum, agit pœnitentiam, ambit veniam. Hinc illæ voces pompam & voluptatem deteſtantes: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Potuit Salomon quod Severus Imperator, dicere: Omnia fui, omnia expertus ſum, ſed nihil expedit. Omnia inania, vana, ventoſa, vacua; omnia nugæ, fumus, ſomnia. Credamus hæc obſecro, horum expertiſſimis.

Porrò varios rex Salomon ad pœnitentiam habuit impulſus. Accerrimi conſcientiæ ſtimuli monebant identidem & fodicabant. Quaſſatus Reipublicæ ſtatus, & adverſariorum molimina in oculis erant. Diverſa commovebat mutatio, gloriæ in ignominiam, ſapientiæ in dementiam, opulentiæ in penuriam. Vrgebant morbi corporis; nuntii mortis, imminens Dei judicium,

cium, & formidabile tribunal. Monere non desinebant sacerdotes & prophetæ, præsertim Ahias & Sadoc, qui eum in regem unxerat. Et quamvis non defuerint, ut in aulis fit, qui manibus pedibúsque reluctati monitoribus, hoc unum blandè suaserint, ne rex inutili se mœrore conficeret, ad revocandum pedem sat temporis superesse, præproperæ pœnitentiæ pudorem nimiùm obsistere, validam consuetudinem subitò tolli non posse, non expedire superfluas sibi curas ultro accersere, multa regibus licere quæ neganda sint plebi, cogitationibus tam mœstis mortem non esse accelerandam. Hæc adulantium erant lenocinia. Nihilominus, quod Hieronymus testatur, tandem in se reversus Salomon, & quasi de gravi somno evigilans, aspexit manus suas, & opera sua plena vanitate, plena sordibus. (a) Proinde, quod verosimillimum, omnes regni ordines convocavit, & publicas offensiones ac noxas publicâ damnavit detestatione; vitam inter voluptates malè consumptam deploravit, ostenditque quanta rerum omnium esset vanitas, quam fallax quæreretur felicitas in opibus, palatiis, hortis, copiosis familiis, voluptatibus exquisitissimis. Neque verò artibus, scientiis, sapientiæ, dignitatibus, famæ & gloriæ quidquam fidendum: Hæc enim omnia si desit timor Domini, esse vanissima. Itaque se idololatriæ omni & malæ voluptati renuntiare, & unam Dei misericordiam implorare: proinde qui se juvissent de-

(a) *Hier. hom. 3. & 4. in Eccles.*

deliquentem, juvent etiam dolentem & ingemiſcentem. Epilogus concionis hic erat: Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time,& mandata ejus obſerva. hoc eſt enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum ſit.(a)

Ergo Salomon pœnitentiam egit, & dignos edidit fructus pœnitentiæ, quam pro ævi more, & gentis ritu aggreſſus creditur cinere, ſacco, lacrimis, jejunio. Narravit Hebræorum Antiquitates Salomonem Hieroſolymis per vias tractum, & quinque virgarum faſcibus armatum adiiſſe templum, & uno ſibi retento, alios quatuor dediſſe legis peritis, ut ſe iis cæderent; qui reſpondiſſe feruntur, nefas eſſe in Chriſtum Domini ultrices admoliri manus. Mittamus hæc. Nos cum priſcis Patribus opinamur, Salomonem non timide nec parcè, aut languidè peccata vitæ præteritæ in ſe vindicaſſe. Sed ubi mentio, ajunt, pœnitentiæ? Quæſo vos, ô boni, dicite; ubi Adami, Lothi, Samſonis, aliorum pœnitentia narratur? Præter jam dicta, & illud Salomonis pœnitentis argumentum eſt: Quod cùm vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam. (b) Hæc in corde poſitio, non eſt qualiſcunque cogitatio, ſed emendationis & pœnitentiæ. Aſſerunt hæc ſeptuaginta interpretes: (c) Aſſerit Hieronymus: Noviſſimè egi pœnitentiam,& reſpexi,

(a) *Eccl. cap.* 12 *verſ.* 13. & 14.
(b) *Prov. cap.* 24. *verſ.* 32.
(c) ὕστερον ἐγὼ μετενόησα.

ſpexi,ut eligerem diſciplinam. Dixerat quidem Siracides : Maculatam Salomonis gloriam. Adjecit tamen : Deus autem non derelinquet miſericordiam ſuam. *(a)*

Atque hæc de pœnitentiâ & beatitudine Salomonis ſententia immenſam Dei miſericordiam magis commendat. Eccleſiæ preces ſunt : Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. *(b)* Sed & pœnitentiæ vis maxima hîc eluceſcit. Negant infectum poſſe fieri quod factum eſt: id tamen pœnitentia poteſt,quæ commiſſas noxas ſic abolet , tanquam ſi commiſſæ non ſint. Pœnitentia, modò non nimium ſera , perditæ ſalutis reparatrix admiranda, plus quandoque reddit quàm perditum ſit. Chryſoſtomo,Pœnitentia miſericordiæ mater eſt. Certa nos erigit promiſſio:Cùm quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum , ſi tamen toto corde quæſieris eum, & totâ tribulatione animæ tuæ. *(c)* Pœnitentiam , piperis aut ſinapis granum dixeris , cujus orbiculo exiguo tam multum ignis clauditur. Hic Ambroſii præceptionem Theodoſio datam ſalubriter inſtillo : Secuti ſumus Salomonem errantem,ſequamur & pœnitentem. Pœnitentiæ indagamus fiduciam , quæ pariter potentiſſima eſt & incredibili pollet robore. Hoc uno fiduciæ ſcuto in omnes adverſos caſus rex David eſt uſus : pæne omnia Davidis ſacra carmi-

(a) *Eccli. cap. 47. verſ. 23.*
(b) *Pſal. 144. verſ. 9.*
(c) *Deuter. cap. 4.*

na Fiduciam loquuntur. Fiducia rex David adverſus omnes hoſtes erectiſſimus : In te, inquit, Domine ſperavi, non confundar in æternum. (*a*) Cui accinens Siracides : Scitote, ait, quia nullus ſperavit in Domino & confuſus eſt. (*b*) Pœnitentiæ & Fiduciæ brachiis Deum ad nos trahimus & noſtrum facimus. Fiducia ſeu ſpes robuſta non confundit; Pœnitentia ſeria nemini non cælum aperit.

(a) *Pſal.* 79.
(b) *Eccli. c.* 2. *v.* 11.



INDICULUS CAPITUM IN PARTEM PRIMAM SALOMONIS.

INDICULUS
CAPITUM
IN
PARTEM ALTERAM
SALOMONIS.

SUM-

SUMMA PRIVILEGII
REGIS CATHOLICI.

PHilippus IV. Dei gratiâ Hiſpaniarum, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Potentiſſimus Belgarum Princeps, Diplomate ſuo Regio ſanxit, ne quis *Salomonem Regum ſapientiſsimum deſcriptum & morali doctrinâ illuſtratum à R. P. Hieremiâ Drexelio Societatis* JESU *Sacerdote*, intra novennium præter *Viduæ Ioannis Cnobari Typographi Antverpienſis p. m.* voluntatem, in Belgio ullo modo imprimat aut alibi terrarum impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve exponat. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 9. Decembris anno 1643.

Signat.

COOLS.

APPROBATIO.

Salomon Regum ſapientiſſimus deſcriptus, & morali doctrinâ illuſtratus à R. P. Hieremiâ Drexelio *dignus eſt ut lucem videat: eſt enim tanto ſententiarum pondere ditatus, ut gloriæ Dei promovendæ ac animorum bono pietatique inſtruendæ multùm deſerviat: dignum itaque ut tanti magiſtri opus legatur. Quare ut poſteritati tradatur, prælum iteratò videat. Actum Antverpiæ, die 25. Novembris* 1643.

Gaſpar Eſtrix S. T. licent. Plebanus, ac lib. Cenſor.





